

43^r

0,67



Num. liceat in ritibus ad Religionem
Fantis simulare aut dissimulare. Utrum
quod sit scandalum datum quod accipit
Uide Saubauern Auditorium Prudens
cum Moral: Curdion: Polat: Itaii a
tum. 17. 691. § 129.

CLARISSIMAE QVAEDAM NOTAE
te uere ac false religionis atq; adeo
ipsius Antichristi, ex quibus etiam
am rudiores, modo ueritatis studiosi
sint, nullo negotio certo statuere
queant nostram doctrinam
esse ueram ac ipsius Christi,
Papistarum uero falsam
& plane ipsius Antichristi.

Hoseæ. XIII.

Via Domini sunt planæ & iusti ambul-
lant per eas, preuaricatores au-
tem corruunt in eis.

Luc. IX.

Quid proderit homini si uniuersum
mundum lucratus fuerit, se au-
tem ipsum perdat.

Anno 1549.

Theodori Fiedleri B

GEARIST
MA...
...
...
...
...
...
...
...
...
...
...
...

...
...
...
...
...
...
...
...
...
...
...

...
...



CLARISSIMI PRVDENTISSIMI

misq; consulibus, & amplissimo Senatui
Luneburgi, suis Dominis & patronis
in confessione Iesu Christi unici
seruatoris constantiã Mat.
thias Flacius Illyricus.



Vseubius Ecclesiæ
astice historie lib. 3. cap.
32. scribit, quod usq; ad
mortem Ioannis Euangeli-
ste, qui 70. annos post Chri-
stum uixit, Virgo munda
(eius uerba recito) & im-
maculata permansit Ecclesia, corruptoribus ue-
ritatis aut nusquam omnino extantibus, aut eti-
am, si qui forte fuerant, in occultis & abditis hia-
tibus terræ delitescantibus. Ut uero & Apostolo-
rum chorus & omnis illa ætas, quæ à Domino sus-
ceperat uiuæ uocis auditum, ex hac luce decessit,
tum in eam se, uelut in uacuam domum falsæ do-
ctrinæ impius error immergit.

Ex quo dicto ostendi posset, quam impuden-
ter mendax sit papistarum oratio, qui negant ul-

los errores in Ecclesia esse. Nam si 70 anno post
Christi passionem, cum quidem adhuc maximus
retinendæ ueritatis zelus esset, & multi Apo-
stolorum discipuli uiuerent, impius error se in
Ecclesiam tanquam in uacuum desertamq; do-
mum immerisit, facile cogitari potest, quid usq;
ad hæc tempora acciderit in tanta spiritualium
non solum inscitia, negligentia, & epicurea diui-
ni uerbi despectione, sed etiam cupiditate per hy-
pocrisin, errores, nouos cultus & quasuis malas
artes crescendi. Iam enim non semel septuagim-
ta anni, sed plusquam uigesies 70. ab ascensione
Domini elapsi sunt.

Verū ego crebro alijs quibusdam tristissimis
curis ex cogitatione huius dicti perturbatus sum.
Sæpe enim, cum piæ memoriæ D. Martinum Lu-
therum senem iam, & curis laboribusq; confectum
in schola uel templo docentem, supra uires stu-
dio promouendi Euangelij laborantem & ueluti
cum sua imbecillitate luctantem cernerem, sic me-
cum cogitabam. En iste est uir Dei, tertius Eli-
as, pater & præceptor noster, ante ultimum ac
horribilem aduentum Domini ad instaurandam
ueritatem missus, qui constantissime fœlicissimeq;
contra antichristum, omnesq; alios Baalitas &
hereticos certauit, & forti fide Diabolum ac to-
tum mundum deuicit.

Hunc

Hunc fortasse Dominus breui ad se accipiet, nos uero miseri infantes, modicæ fidei ueluti orphani quidam hic in terris relinquemur, quos isti Dei hostes, ministri antichristi, (qui rugientes circum eunt, ac quærent, qua nam ratione pios deuorare, & ueritatem perdere possunt) facile partim oppriment, partim etiam seducent.

Si enim tanta est uis Diaboli, ut in Ecclesiam eorum, quos Apostoli ipsi erudiuerunt, quosque Spiritus sanctus longe pulcherrimis donis ornarat, impium errorem tanquam in uacuam domum intrudere potuerit, quid nobis timendum non est, qui illis primis doctoribus nullo penitus modo pares sumus? præsertim cum Satan iam sub finem mundi, quia scit sibi breui perpetuas catenas iniiciendas esse, etiam magis furiosus futurus sit.

Incutiebant mihi etiam hunc metum omnium temporum exempla. Semper enim post magnorum in Ecclesia uirorum mortem, diabolus & impij ferme statim suos errores restituerunt, ut apparet ex morte Iosue, omnium iudicum, prophetarum, & piorum regum.

Hæc mea tristis sollicitudo morte S. uiri aucta est, & quotidie magis ac magis augetur, siquidem iam non tantum futurum malum timeo,

sed etiam praesens cerno. Ea enim profecto nunc rerum facies est, ut uideantur omnes Demones ex inferno ad extinguendum igniculum Euangelij, ueluti commune quoddam sui regni incendium, euolasse. Adco uehementer ubiq; ueritas Christi mendatio & homicidio, Satanae nimirum praecipuis artibus, oppugnatur.

Nusquam iam ferme licet aliquid de retinenda agnita ueritate dicere, ne apud eos quidem, qui paulo ante summi fautores Euangelij uideri uolebant, quin statim pro seditioso habeatis, statim tibi carceres & exitium minentur. Plurimiq; etiam eo insaniae, furorisq; prolabantur, ut malint cum impijs Christianos persequi, quam cum Christianis aliquid pro Christo pati. Tanta est ueteris Adami sapientia, ut illi dicet satius esse, persecutorem Christi fieri, quam confessorem.

Porro error iam ita artificiose pingitur, itaq; ueritas astute deprauatur, non tantum ad impijs, sed etiam ab ijs, qui antea pietatis, synce-
raeq; & apertae ueritatis amatores summi fuerunt, ut plane credam esse ea tempora, quibus, si possibile est, etiam electi seducentur.

Doctores

Doctores uero, qui resistere mendacijs, ue-
ritatemq; propugnare deberent, partim autori-
tate & eruditione in tanta re destituuntur, par-
tim uoluntate periclitandi, quidam etiam tali
quadam inani spe se fouent, ut putent ueritatem
melius tacendo, simulando, dissimulandoq;, quam
aperte confitendo patiendoque conseruatam iri.

In tali tristissima Ecclesie Christi facie con-
firmo & consolor me (idemq; & alijs pijs faci-
endū censeo) seria oratione, & promissionū Do-
mini cogitatione, qui dicit neminem erepturū nos
esse de manibus suis, seq; dies istos malos abbre-
uiaturum. Munio me etiam lectione sacrarum
literarum & librorum R. P. D. Martini
Luth. in qua occupatione saepe singulari letitia
afficior, cum cerno, quam & nostra causa bona
sit, & aduersariorum mala, cogito enim non
magnopere curandum esse, si nostra causa nunc
ab iniquis istis iudicibus condemnetur, modo in
extrema illa die coram Christo iudice subsistat,
suosq; persecutores condemnet.

Cæterum cum scirem magnam esse imbecil-
litatem nostram, collegi insuper quaedam illustra
eaq; certa signa, ex quibus necessario uel impe-
riti quæant concludere nostram doctrinam esse

ueram, antichristi uero falsam. Quod etiam ideo studiosius feci, quod certo statuam uix ullum maius malū cuiquam iam accidere posse, quam si se quoquo modo scorti istius Babilonij immundicie contaminet, aut summo isti reuelatoq; filij Dei hosti antichristo adiungat.

Collegi uero ideo hæc signa præcipue contra ueterem papatum, quia quanquam iam subinde noui aliqui infernales spiritus in angelos lucis transformati in publicum prodeant, seq; pro Christo adorari uelint, tamen, si eis larua detrahatur, omnes ministri illius antiqui serpentis, cuius papa est uicarius, agnoscentur, omnesq; Ecclesiam Christi in seruitutem antichristi pristinasq; abominationes retrahere conantur.

Etsi autem hoc scriptum tantum in meum priuatum usum primo confeceram, uidebamq; plane puerile esse, tamen cum quidam putarent utiliter euulgari posse, facile id passus sum. Cogitabam enim Christo perplacere, ut dum Herodes, sacerdotes, pontifices, legisperiti et scribæ aut tacent, aut etiam consultant quomodo dolo eum capiant, saltem infantes & lactentes eum celebrent & confiteantur.

Vobis autem senatores amplissimi propterea libellum hunc dicare uolui, quod intellexi uos
literis

literis & doctrinae Christianae fauere, quodq; beneficia quaedam uestra, eaq; minime contemnenda erga me extant. Spero etiam uobis cum uoluntatem nostram tum & libellum hunc non penitus displiciturum esse. iam enim propemodum soli uos Saxones serio de retinenda incontaminata Euangelij Christi ueritate, deq; non admittendo antichristo in templum Christi cogitatis, reliqui magna ex parte nauseant super cibo hoc, recordantur ollas carniuum & cepas Aegyptias, ac in Aegyptum uel iam reuersi sunt, uel adhuc reuertendi cogitant. Horribile profecto est, quod cum nullis unquam Ecclesijs Deus clarius noticiam filij sui largitus sit quam Germanicis, nullae etiam unquam turpius eam abiecerint quam Germanicae, quod historia Ecclesiae omnium temporum facile euincit. Profecto imminet adhuc grauis aliqua Dei poena, istis, qui Deum offendendo & homines placando animam suam seruare conantur.

Dominus Iesus seruet saltem istas paruas reliquias ex tanta (ut modo uidebatur) arena maris, nec sinat sui noticiam in humano genere penitus extinguere.
Amen.

A S

Christiano

CHRISTIANA
NO LECTORI VSQVE
in finem perseuerare Matthias
Flacius Illyricus.



PIRITVS S. PER
Hoseam Prophetam in-
quit. Rectæ sunt usq; Do-
mini et iusti ambulabunt
per eas, at præuaricato-
res corruent in eis. Qui-
b9 uerbis indicat doctri-
nam coelestem perspicu-
am esse, nec difficulter ue-
ros pietatis studiosos
eam intelligere & sequi posse, sed impios, qui
pietatis ac ueritatis studiosi non sunt, nec in-
telligere sacras literas, nec in eis aliud quam
suum ipsorum exitium inuenire.

Immerito igitur plane queruntur qui-
dam hoc tempore, cum duo potissimum cætus
de ueritate doctrinæ contendant, se non posse
liquido dijudicare, penes quos sit uera aut fal-
sa religio, utrosue potius sequi debeant. So-
lent enim dicere, etamsi ea pars quam aduer-
sarij eorum Lutheranam appellant, uideatur
pro se ac sua doctrina firma ac perspicua uer-
bi diuini testimonia afferre, nec non primo-
rum patrum, conciliorum, & totius primiti-
uæ Ecclesiæ suffragium habere, Tamen & al-
tera nempe papistica pars habet sua quædam
firma

firma argumenta, inter quæ hæc sunt præcipua. Primum, quod Ecclesiæ titulum tenent. Nec enim temere esse dissentiendum ab Ecclesia. Deinde, quod & ipsi citant pro se scripturas, se uero diiudicare non posse utri uerius scripturas citent. Magno clamore utrosque suam causam agere, utrosque æternum exitium suam doctrinam non sequentibus denunciare, se uero imperitiores in medio, uelut inter contrarios uentos in fallo iactari, nec scire quorsum se uertant.

Verum immerito quaeruntur, ut diximus, nam & uix Domini per se sunt planæ, & sunt laruæ istæ ac forma angeli lucis ita diabolo hoc tempore detractæ, ut nullo negotio a quouis ueritatis querēde studioso cognosci queat.

Dicemus tamen & nos aliquid de istis fucis diaboli, quoniam tanta est eius & ipsius filiorum impudentia, ut quanquam sepius sint omnia eorum argumenta firmiter confutata, fucosaque ornamenta detracta, tamen eisdem se adhuc ornare, proque angelis lucis ostentare non uereantur.

Primum igitur dicamus de Ecclesiæ titulo, de quo illi tantopere gloriantur, sicut omnibus temporibus hypocritæ ueram Ecclesiam hoc titulo superbe prefferunt.

Potest autem facillime cognosci quibus ista titulus uere aut falso conueniat, si ipsam originem duarum istiusmodi Ecclesiarum duorumque cœtuum diligēter considerauerimus. Narrabimus igitur primum istam dissidiorum originem, postea eam experientia exemplisque confirmabimus.

Primum,

Primum, subinde fuit aliquod tempus, quo cœlestis doctrinæ ueritas beneficio Dei, clarius effulsit.

Deinde morientibus illis doctoribus per quos Deus suæ doctrinæ ueritatem illustrauerat cœpit doctrina obscurari & in peius labi, quod factum est cum uarijs diaboli ueræ doctrinæ inimicissimi technis, tum etiam quod eam administrarunt doctores, prioribus illis in cognitione ac zelo pietatis nullo modo pares.

Tertio rebus ita in peius labentibus mirabilis sane fuit Ecclesiæ status, cum in eodem cœtu aliqui satis commode de præcipuis articulis sentirent, multi penitus impias opiniones haberent, plerique uero, quid crederent, ipsi nescirent.

Postremo in eo tam tristi rerum statu Deus misertus suæ Ecclesiæ suscitauit iterum aliquos pios homines, qui errores animaduertunt, ueritatemque ab erroribus seiunctam auditoribus ostenderunt. Eos autem cum Deus suo more. i. Cor. i. plerumque ex infimo ignobilissimoque hominum ordine excitaret, ac essent multi inter summos eius cœtus, qui populus Dei dicebatur, gubernatores, qui ægerrime ferrent se doceri a tam uilis conditionis hominibus & doctrinam ac ritus, in quibus ipsi nati & educati erant, immutari, lucrum suum dignitatemque diminui, facti sunt aptissima organa Diaboli, qui & ipse ægerrime fert ueteres errores aboleri, sibi que animarum solitam rapinam eripi.

Atque ita, cum sit spiritus mendax & homicida, excitauit malos homines rerumque habenas tenentes, ut novos istos doctores recensque

Œenſq; natum Christum fraudibus ac cædibus
extinguere conarentur. Ceperunt igitur ua-
rie calumniari, excommunicare ac interficere
pios illos doctores, eorum doctrinam & audi-
tores.

In tali rerum facie si quærat, qui reman-
neant Ecclesia Dei & qui desinant esse Eccle-
sia, quicq; ex Ecclesia exeant, seu schismatis cau-
sa iure dici possint, neminem opinor fore aut
tam cæcum, ut aliud iudicet, aut tam impu-
dentem ut aliud affirmare audeat, quam quod
illi, qui ueritatem eiusq; doctores persequun-
tur, sint omnium malorum causa, illiq; seipſos
ex Ecclesia eijciunt, illi uero, qui pro ueritate
patiuntur, tunc, uel in primis DEI populus
sint, cum eos impij eijciunt ex suis synagogis
& excommunicant.

Non esse autem historiam hanc nostrum
figmentum, sed rei ipsius ueritatem sic se ha-
bere, facile est ex sacris literis ostendere. Quã
sape enim doctrina cultusq; Dei ante Chri-
stum collapsus est? sed Deus excitauit subin-
de aliquos suæ pietatis instauratores, ut pri-
mum, post interfectum uerum cultorem Abe-
lem regnante Cainica Ecclesia excitauit Deus
Enos, & postea Enoch. Nec dubium est quin
istis duobus uiris magnum cum impijs certa-
men fuerit, utra sit ueriorq; doctrina, ipsorum
ne aut Cainici cœtus, & num Cainici cœtus
aut uero ipsorum auditores sint Ecclesia
Dei.

Deinde cum iterum ante diluuium esset
status Ecclesiæ miserrimus excitauit DEUS
Noah prædicatorem iusticiæ, qui, ut apparet
ex Epistolis Petri, multos ac potentes aduer-
sarios habuit, quos etiam mundus secutus
est;

est, Noham uero cum suo pufillo grege perfe-
cutus.

Tertio rursus corrupto cultu ac doctrina
Dei, commutatoq; in idolatrias excitauit De-
us Abrahamum & Loth, ut ueram doctri-
nam instaurent, qui proculdubio a Chaldeis
idolatriis alijsq; impijs condemnati, & ex-
communicati sunt, atq; ideo uocati a Deo inde
exiuerunt.

Quarto sub iudicibus & regibus quam
sepe uerus cultus & doctrina corruit: Quoti-
es eam Deus per prophetas instaurauit: qui
tamen una cum suis auditoribus a sacerdoti-
bus, pontificibus & regibus sunt excommu-
nicati.

Postremo quo tempore Christus uenit,
erat populus Dei uarijs, nscq; grauissimis er-
roribus contaminatissimus, de resurrectione
mortuorum, et animarum immortalitate, pro-
palam erronea doctrina a praeipuis in popu-
lo docebatur & defendebatur. Porro de le-
gis usu & Messiae officio ac persona uix cente-
simus recte sentiebat.

In ea tristissima doctrinae de Deo obscu-
ratione, grauissimisq; Ecclesiae erroribus, ue-
nit Ioannes, Christus cum suis Apostolis, qui
caperunt ueritatem doctrinae illustrare, erro-
res et superstitiones taxare. Hos doctores pau-
ci aliqui, nq; tenuiores secuti sunt. Maxima
uero pars una cum suis pontificibus, sacerdo-
tibus & politicis magistratibus ipsos ac eo-
rum auditores excommunicauit, persecutaq;
est, & deniq; plerosq; trucidauit.

In tali tristissima Ecclesie Dei, scissione que-
ro ab omnib; sanis hominib;, utra tandem par-
tem putent mansisse in Ecclesia, aut exiuisse
ex Ec-

ex Ecclesia, ac utros demum censcant schis-
matis causam fuisse, inconsutilemque Christi
tunicam dilacerasse?

Opinor profecto uix ullum hominem tam
distorti iudicij inueniri posse, qui (si modo
uolet dicere id, quod sentiat) non sit confes-
sus eos esse omnium malorum causam, qui
diuinæ ueritati resistunt, eosque ex Ecclesia ex-
iuisse. Eos uero, qui patiuntur pro ueritate,
tunc uel maxime in Ecclesia esse incipere, cum
ab impijs pontificibus & sacerdotibus ex-
communicantur & trucidantur, iuxta illud
Christi. Matth. 5. Beati eritis, cum uos pro-
bris affecerint, persecuti fuerint, & dixerint
uobis omne malum uerbum, mentientes prop-
ter me. Item Psal. 109 inquit, maledicent illi,
tu autem benedices.

Christus quam primum natus est, ab He-
rode, ex populo Dei expulsus est, ita ut cogere-
tur fugere usque in Aegyptum. Num tunc de-
siit esse in Ecclesia, & Herodes mansit: non opi-
nor, imo si ante Herodes fuit in Ecclesia, tunc
esse desiit, quia factus est persecutor, Chri-
stus uero tunc uel maxime cepit esse in Eccle-
sia, quia pro ueritate patiebatur.

Hoc modo si de hac re alijs temporibus
omnes iudicant, quare & hoc tempore de Ec-
clesiæ certaminibus non eodem modo sentiunt?
Sed fascinat animos hominum diabolus per
mendacia monachorum, inuatas superstitiones,
splendorem, ac potentiam pontificum
& regum ab eorum partibus stantium, ijs
quasi præiudicijs mentes hominum occupatæ,
non possunt (ueluti gustus infectus) satis sin-
cere de ueritate iudicare.

Multos

Multos uidi, qui Lutherum ex animo ex-
ecrabantur, iudicabantq; eum omnium hære-
ticorum longe pessimum, at ijdem, cum eis
Lutheri libri, detracto titulo exhiberentur,
iudicarunt eos pie & erudite scriptos, tantum
ualet præiudicium anticipatæ opinionis.

Certe iam euicimus, nec aduersarij nega-
re possunt Lutherum multa iustissime in pa-
pisticis abusibus reprehendisse. Quod si ip-
se iuste repræhendit, recte etiam ij fecerunt,
qui eius admonitionem amplexi sunt.

Debebant autem omnes pontifices, mo-
narchæ, cum præsertim eis primum Lutherus
pro ea re supplicaret, ueritatem Dei per eum
reuelatam amplecti cum timore Dei & gra-
tiarum actione, & non furenter persequi.
Cum autem eam non solum amplexi non sint,
sed etiam furiose excommunicationibus, fer-
ro, & igni sint persecuti, omniq; crudelitatis
genere eius professores deuexauerint, non illi
nos, qui propter ueritatem patimur ex Eccle-
sia expulerunt, sed seipsos.

Non furore & crudelitate aliena homines
ex Ecclesia expelluntur, sed propria impieta-
te & errore. Petrus cum paulo antea, quia
erat confessus Iesum esse filium Dei, magnifi-
ce ab eo collaudat⁹ esset, paulo post, quia non
sapit ea, quæ Dei sunt, Sathanas a Christo
appellatur.

Concluditur igitur firmissime, nos, qui
propter ueritatem Christi patimur, semper in
Ecclesia mansisse, & tunc uel maxime esse,
cum hæretici schismaticiq; falso ab aduersa-
rijs ob Christi ueritatem uocantur. Aduersa-
rios ue-

illos uero, etiam si antea in Ecclesia fuerint, tunc ex Ecclesia necessario exiuisse, cum uerbum Dei furenter persequi coeperunt.

Impossibile profecto est oues uocem Christi aspernantes, eius oues esse. Necessesse autem est illud esse uerissimum, quod ipse Dominus Iesus inquit, Oues meae uocem meam audiunt, non persecutores Euangelij Iesu Christi sed auditores sunt Ecclesia & oues eius.

Hactenus, ut spero, satis ualide laruam istam tituli Ecclesiae persecutoribus detraximus. Iam age uideamus, quam bona fide scripturas citent, quoniam imperiti homines saepe eo decipiuntur, quod putant & ipsos se, suamque doctrinam sacris literis uere tueri.

Primum citant ~~locum ex Ecclesiast: 9.~~
Nescit homo, an sit odio aut amore dignus, quo uolunt illi probare, neminem mortalium scire an ipsi Deus uel propitius sit, uel inimicus. At hoc quid aliud est, quam totam scripturam certo indicantem omnibus impoenitentibus iram Dei aeternumque exitium, & rursus omnibus poenitentibus, ac in Christum credentibus gratiam & remissionem peccatorum. Item conscientiam ipsam, & Spiritum S. spiritui nostro testimonium dantem, & abba pater in nostro corde clamantem, e medio tollere?

Sciunt isti deploratae maliciae homines Salomonem ipsum profiteri, se illa secundum humanae rationis iudicium pronuciare, non secundum uerbum Dei, quod nobis quibusuis demonstrationibus debet esse longe certius, & tamen hoc dictum contra suam ipsorum conscientiam ad euertendam scripturam citant.

B

Eadem

Eadem opera citarent id, quod aliquando
ante hunc uersiculum legitur, quod nihil sit
homini melius sub sole quam comedere, bibe-
re, ac gaudere. Et quod paulo post sequitur,
eundem esse euentum iusto, bono & malo,
mundo & immundo, sacrificanti & sacrificia
contemnti, periuro & iuramentum seruan-
ti, &c.

Hæc omnia cum non ignorent isti impij
secundum humanam rationem mirabilem re-
rum confusionem intuentem dici, tamen uo-
lunt hoc unico dicto totam scripturam fundi-
tus euertere, quæ toties certissimam iram Dei
impœnitentibus, & remissionem peccatorum
pœnitentibus annunciat, uultq; singulos sibi
firmissime assentiri.

Deinde citant locum Genes. 48. Inuoce-
tur super eos nomen meum, & nomen quoq;
patrum meorum Isaac, Abraham. Ex quo lo-
co, uolunt contra totam reliquam scripturam
probare inuocationem mortuorum hominum,
cum tamen nemo de illius loci uero sensu (qui
ab hac eorum expositione diuersissimus est)
sanus homo ambigere possit.

Adoptat enim sibi eo loci Iacob duos fili-
os Iosephi, Ephraim & Manasse, eisq; uult
ratas fieri promissiones Abrahamo, Isaac &
sibi diuinitus factas, & quia in adoptionibus
solent adoptatis etiam cognominia adoptan-
tium attribui, & Hebrei cognomina patris
nomine adiecto expriment, sicut & Græci &
Hollandi, ideo cum hæreditate promissionum
Abrahami, Isaaci, Iacobi etiam nominum eis
hæreditatem attribuit, uultq; eos illorum no-
minib; cognominari, ut Ephraim filius Iacob,
filius Isaac, &c. de hac materia propemodum
in toto eo capite agitur.

Simili

Simili sermonis & sententiæ ratione dicitur. Esa. 4. Apprehendent in die illa septem mulieres uirum unum, dicentes, panem nostrum comedemus, & uestimentis nostris operiemur, tantummodo inuocetur super nos nomen tuum. Vbi nullo modo id dicitur, quod uelint illæ mulieres uirum illum inuocare. Sed quod uelint appellari eius uxores, ut Elizabeth uxor Zachariæ, Abigail uxor Nabal. Sicut igitur illic mulieres sumunt cognomina ex nomine mariti, ita hic ex nomine maiorum uult pueros illos cognominari.

Quare dubium non est, aduersarios & petulanter & pessima conscientia hunc locum plane in alienissimam, ac etiam impiam sententiam trahere.

Tertio citant dictum Psal. 119. uoluntaria oris mei placeant tibi Domine. Vnde probant licere nobis colere Deum non mandatis operibus & cultibus, illaq; pro nostro libitu sine mandato Dei suscepta opera placere ei. Quod quid aliud est, quam amplissimam fenestram omni generis idolatriæ aperire? Ac sane hæc sententia in papatu ingentem ruinam Christianitatis secum traxit, celebre enim est illud eorum dictum, quicquid facis in simplicitate cordis tui bona intentione, placet Deo.

Cum autem sciant aduersarij hanc sententiam & interpretationem præcedentis dicti pugnare cum illis expressis mandatis Dei, ne recedas uel ad dextram uel sinistram. Item ne facias, quod tibi bonum uideatur. Item hinc infinitas idolatrias oriri posse, quales quæso homines eos esse putas, cum ausint scientes & uolentes ita uerbum DEI peruertere, ut suos abusus excusent?

B 2

Quarto

Quarto proponamus pro exemplo papistarum uerbi Dei citationis locum quendam ex capi. 16. Sextæ sess: concilij Tridentini. Vbi probant sanctiss: patres æternam uitam dari pro nostris operibus hoc sacrarum literarum textu. Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor uester non est inanis in Domino. Non enim iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis uestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, & nolite amittere confidentiam uestram, quæ magnam habet remunerationem.

In quo textu multiplicem Sycophantiam admisit Sacrosancta synodus. Nam primum ex tribus diuersissimis locis unum textum confarcinauit, quasi esset unus perpetuus textus pauli. Prima enim pars, quæ incipit abundate, est sumpta ex fine 15. prioris ad Corin. Secunda, non enim est iniustus, ex Hebre. 6. postrema uero nolite amittere confidentiam, ex Hæbr. 10.

Hoc modo si licebit ex Sacris literis centones fabricare, poterit perinde AENEÆ historia ex eis conscribi, sicut olim Proba ex AENEIDE passionem Christi confarcinauit.

Secundo, nec ipsa uerba bona fide adscripserunt. Nam in textu legitur, Itaque fratres mei stabiles sitis, immobiles, abundantes in opere Domini, scientes, quod labor uester non est inanis in Domino.

Postremo etiam in diuersissimum a genuino sensum hosce locos citant. Nam in loco. 1. Corin. 15. hortatur Apostolus Cor. ad constantiam in opere Domini, in ministerio seu prædicatione Euangelij, quod ministerium
non

non frustra exerceatur. In sexto ad Hebr. ait se sperare, quod Deus non sit passus eos tam uehementer a ueritate labi, quandoquidem tam bona initia in Christianismo habuerint. Porro in loco Hebr. 10. hortatur pios ad constantiam in ueritate Christiana, quæ constantia habet sane magnam confidentiam in Deum, non quidem ob propria merita, sed ob meritum solius Christi, quo p̄i nituntur.

Hæc tam multiplex ac plane diabolica sycophantia quomodo quæso in orbis Christiani concilio probari potest, cum etiam pessimo alicui præstigiatori parum conueniat?

Imitati sunt sacrū concilium et fabri Interim in his centonibus ita consarcinandis. Recitant enim eandem sententiam, ut probent, quod per bona opera æternam uitam consequamur. Nec mirum est eos similiter scripturam Dei lacerare, cum proculdubio utriq; eodem spiritu congregati fuerint.

Quinto sciunt uerba cœnæ Domini, nam reliqua comunioni relinquunt, illa uero, hoc facite in mei commemorationem ad suam missam transferunt. At quam audacter, quam impudenter, quamq; impie id faciant, inde apparet, quod cum sciant, & ex naturali textus intelligentia, & ex D. Pauli 1. Corinth. 11. interpretatione, hæc de illa ipsa omnium piorum communionem dici, tamen audent testamentum Christi corrumpere, ut sua idolatrica sacrificia stabiliant.

Sed quid ego de singulis scripturæ locis queror? totum uerbum Dei illi nobis auferre conantur, quod utinam nec uerum esset, nec probari

probari posset. Effecerunt tamen illi prohi-
dolor, ut nimium facile probari possit, nam
etiam æditis scriptis contenderunt uerbum
Dei esse ambiguum, obscurum, habere (ut illi
uulgo per contemptum de cœlestibus oraculis
loquuntur) nasum cereum, nullum esse uer-
bum ibi, quod non pluribus modis intelligi
possit. Item uehementer clamant maiorem ei-
se autoritatem Ecclesiæ quam uerbi diuini.
Per Ecclesiam autem intelligunt papam, &
quosdam eiusdem spirituales. Item nolunt
scripturam ex hæbreis græcisq; fontibus ex-
plicari.

Per hæc omnia quid aliud sibi uolunt,
quam totam scripturam semel tollere. Si
enim tota scriptura est dubia, ambigua, quid
mihi proderit eam legisse, cum non possim
esse certus de ullo intellectu, quod sit uerus
uel falsus. Item si maior est autoritas papæ,
ac eius spiritualium, quid mihi biblia?

Sariius est decretis & bullis credere. Item
si mihi non licebit fontes ipsos sacræ scripturæ
consulere, uel alios scripturam ex ipsis fonti-
bus explicantes audire, quando ero certus,
quod is sit genuinus sensus loci?

Hactenus exemplis aliquot abunde (ut
opinor) ostendimus quam plane sycophanti-
ce Sacras literas citent ut ex hoc ipso quibus
certissime statuere possit eos, & malam cau-
sam habere, qui adeo sollicite & impudenter
præsidia ex locis nihil pro eis facientibus que-
runt. Et etiam malo spiritu agitari, qui om-
nipotentis Dei uerbum tam furenter conscin-
dere & peruertere audeant.

Eat iam qui uult, ac bona conscientia di-
cat etiam papistas Sacris literis munitos esse.

Potuisse

Potuissemus plura eorum furoris Sacras literas contaminantis exempla afferre. Sed opinor hæc pauca sufficere sanis hominibus, ut his admoniti in posterum statuunt papistas non citare Sacras literas, sed furenter conscindere & lacerare.

Ostendimus hucusq; ut spero satis ualide papistas nec Ecclesiæ titulo se tueri posse neq; etiam scripturas recte citare, sed pessima fide easdem, ut corda simplicium decipiant, torquere, ac, ut uulgo dicitur, crinibus inuitas in suum sensum trahere.

Iam quo penitus omnis dubitatio, penes utros sit uera aut falsa religio, auferatur, proponemus crassissima quædam, manifestissimaq; indicia, ex quibus etiam imperitiores (si modo ueritatis quærendæ studium habuerint) liquido constituere queant, utrorum religio uerior sit. Ne deinceps quisquam se excusare possit, ignorasse se, quid sequendum fugiendumue in tam difficilibus certaminibus fuerit, ac propterea se Euangelio non adhæsisse.

Quod si sunt aliqui, qui etiam cum ueritatis clarissimæ lumen cernant, illud tamen ob pericula sequi nolint, quales res ipsa ostendit esse plurimos, n̄ suis excusationibus nihil aliud efficient, nisi ut, dum Deum & homines se excusando rident, iram Dei & æternas poenas sibi cumulent.

Primum Tecmirion.

Dominus Deus sciens humanam creaturam non percipere ea, quæ Dei sunt, ad erro-

B 4

res au.

res autem & idolatriam procliuam esse, uelut
præcipuum quoddam fundamentum conseruandæ
uere religionis posuit, præcipiens Deute. 4. 5.
12. 28. Prouerb. 30. Galath. 3. Apocalipsis 22.
Ut simpliciter ipsius uerbum sequamur. Sit illud
lucerna pedibus nostris, non declinemus neq; ad
dextram neq; ad sinistram, non faciamus id, quod
uidetur bonum in oculis nostris.

Contra papistæ habent, hanc hypothesin pro
certissima.

Quicquid tibi bonum uidetur, ac quicquid
in simplicitate cordis tui, & bona inten-
tione facis, id Deo probatur.

Hanc sententiam probant dicto Psalmi 119.
Voluntaria oris mei placeant tibi Domine, quod
illi sic intelligunt, quomodocumq; mihi libuerit te
colere, placebit tibi, siue id præcepisti, siue non.
Verum de hac sententia prius dictum est.

Ex hac autem Thesi quis non uidet in pro-
cliui esse, ut infiniti ac diuersissimi errores orian-
tur? sicut illud uulgare dictum affirmat, Quot
homines tot sententiæ. Itaq; unusquisuis Mona-
chus, ac unaquæuis propemodum superstitiosa ue-
tula aliquid noui excogitauit, quod res ipsa ni-
mio plus arguit, si modo quis lustrat oculis pa-
pistarum templa, ac cultus mire uarios. Ex eodem
quoq;

quoque fundamento Ethnici dii, cultus, ac errores
creuerunt.

Cum igitur papistæ hanc foecundam errorum
originem sequantur, nos autem contra contenda-
mus, omnia ad uerbum Dei secundum eius man-
datum examinanda esse, ac quæ cum eo non conueniunt
repudiemus, uel ex hoc unico signo quiuis candi-
dus ac Deum timens potest animaduertere, penes
quos sit uera aut falsa religio.

II.

Non est dubium quin oues Christi sunt, quæ
uocem eius audiunt, & ut primus psalmus
inquit, Qui delectantur lege Domini, ac
qui meditantur in lege eius die ac nocte.

Est autem in nostris Ecclesijs medioere stu-
dium sacrarum literarum, & apud Doctores &
apud auditores, quod negari non potest. Apud
papistas autem in summo est contemptu, quod
multis modis firmissime probari potest.

Primum quia ante hanc lucem Euangelij,
priusquam à nostris doctoribus essent excitati ex
illa profunda somnolentia, adeo fuerunt neglectæ
sacræ literæ, ut multa millia non solum laycorum,
sed etiam istorum (si Dijs placet) patrum spiri-
tualium quid sint Biblia omnino ignorauerint, ac
pro certo narratur quod in constantiensi concilio

non fuerit, nisi unum exemplar Bibliorum apud
omnes catholicos patres.

Quod autem iam papistici spirituales non
nihil in sacris literis student, non eò faciunt, ut
inde eterne salutis uiam discant, sed quærunt
aliquid, quo possint sophisticè ueram sententiam
cauillari & oppugnare.

Secundo, quia id summo conatu agunt ne
uulgus hominum quicquam de uerbo Dei sciat,
calumniantur, uerbum Dei esse ambiguum, obscu-
rum, ex cognitione eius oriri hereses & schisma-
ta, quasi uero Spiritus Sanctus non sit optimus do-
cendi magister, aut quasi coelestis ille pater, qui
solus bonus est, suum uerbum ad perniciem gene-
ris humani & non salutem dederit.

Ideoq; nolunt Euangelia ac Epistolas, aliasq;
ceremonias in templis uulgari sermone peragi.
Tum quoq; in multis eorum scholis pro Epistolis
Pauli, aut alioqui pro sacris literis Metaphysica
Aristo. leguntur.

Tertio quia multi papistæ hoc tempore ex-
presse, ac prolixè æditis libris, calumniati sunt
uerbum Dei, quod sit obscurum, quod sit ambi-
guum, ac quod uix sit ulla sententia in sacris lite-
ris, quæ non multipliciter intelligi possit, quasi

Spiritus

Spiritus Sanctus non sit optimus docendi Magi-
ster, ut iam paulo ante diximus.

Quarto quia omnes pene papistæ iam annis
ferè 30. & amplius uehementissime contende-
runt, Ecclesiam esse supra uerbum DEI, Ecclesi-
am non posse errare, papam & Cardinales esse
Ecclesiam, Igitur magis credendum papæ quam
Deo creatori cœli & terræ, qui uerbum suum no-
bis dedit.

Hunc tantum non solum neglectum, uerum
etiam contemptum uerbi DEI, quis dubitet cer-
tissimam notam esse furoris Diabolici? cum se-
uerbo Dei non solum uera Ecclesia, Sancti Ange-
li, sed etiam ipse unigenitus filius DEI Dominus
Iesus subijciat, qui, ut ipse affirmat, propterea in-
carnatus, passus, sepultus est ac resurrexit, ut scri-
ptura impleatur.

III.

CHristus affirmat Matth. 15. Mar. 7. Impi-
os irritum facere mandatum DEI, propterea
mandata hominum. Hoc multis modis fe-
cerunt papistæ, nos probandi gratia pauca quæ-
dam proponemus.

DEVS precipit ut ipsum solum adoremus
& inuocemus. Papistæ contra docent non solum
homines mortuos, sed etiam euentia eorum ossa,
uestes

uestes adorandas & inuocandas esse, & nescio
quid non?

Christus dicit ubiq; perinde recte inuocari
Deum, sed papiste contendunt rectius id Hieroso-
lymis, Romæ, aut apud S. Iacobum fieri, quam
alibi.

DEVS dixit, non est bonum hominem esse
solum, illi contra nihil est melius, quam hominem
esse solum.

DEVS dixit parentes esse honorandos, pa-
piste dicunt, non solum opes melius donari tem-
plis quam parentibus, Sed etiam se ipsum posse
unumquenq; optimo iure in monachismum dede-
re, contempto mandato, precibus ac obtestatio-
nibus parentum. Multis itaq; omnino modis ope-
ra charitatis ob suas cæremonias impediunt, longe
plus quam olim pharisæi faciebant.

DEVS uoluit liberum esse usum escarum,
aliarumq; omnium rerum ad usum uitæ necessa-
riarum, modo cum gratiarum actione sumantur.
Papiste uero in eo summam pietatis ponunt, Si
quis à certis cibis certis diebus abstineat, hoc aut
illo modo uestiatur, hic aut illic habitet, &c.

CHRISTVS dixit, Ite in uniuersum or-
bem, & prædicate ea quæ ego docui uos, nempe
pœnitentiam & remissionem peccatorum, in no-
mine

mine meo. Papa dicit ite in uniuersum orbem & missate, indulgentias uendite, pro pecunia omnia dispensate, soluite & ligate, & trufate, grauesq; argento sacculos nobis apportate. Quot millia, quæso te optime lector, spiritualium sunt, quæ nunquam omnino oues Christi docuerunt, ne dicam, ut rectè docuerint? Quot uero sunt qui nunquam uiderunt oues sibi commissas?

CHRISTVS dixit, accipite & comedite, Papistæ dicunt, accipite & sacrificate, adorate, circumgestate, recondite, &c.

Quid multis? nulla est tam frigida, aut etiam impia fabula, quin à Monacho ex suggesto recitata, pro catholica & orthodoxa doctrina habeatur, si modo culinae sanctissimi & eius spiritualium non obsit. Conciones eorum ac libri id abunde testantur.

Contrà nihil, præsertim hoc tempore, tam rectè ex sacris literis dici potest, quin continuo aut hæreticum, aut schismaticum, aut hæreseos nomine suspectum ab eis dicatur, adeo ut quidam Monachus Antuerpiæ semel inter concionandum, daturus certam notam Lutherani, dixerit. Quæ multum inter loquendum CHRISTVM, CHRIS TVM, CHRISTVM nominat, is Lutheranus Lutheranus est. Estq; hoc à Paulo prædictum.

2. Timo.

2. Timoth. 4. futura esse tempora, quibus ho-
mines auertant se a sana doctrina, & ad fabulas
conuertantur.

Cum igitur papistæ infinitis modis manda-
tum Dei irritum fecerint, propter sua somnia, &
sua hominum nugamenta, potius quam mandata,
& adhuc ad id faciendum omnes homines ferro
& igni cogant, nos uero contra contendamus
tantum uerbum DEI sequendum esse, mandata
uero hominum cum uerbo DEI non conuenientia
esse negligenda, facile est demonstrare, qui nam ma-
gis Dei spiritu ducantur.

IIII.

CHRISTVS dicit impios edificare sepul-
chra prophetarum, & dicere. Si nos uixis-
semus tempore nostrorum patrum, non
consensissemus eis in cædem prophetarum, & ta-
men interim trucidare pios Doctores. Id uerissi-
me de papistis dici potest, quod res ipsa (proh do-
lor) nimio plus arguit. Nam non tantum pau-
peres spoliant, ut sua templa exstruant, Sed etiam
pios doctores sine intermissione trucidant & E-
uangelium Iesu Christi agnitamq; ueritatem fu-
renter persequuntur.

V.

Omnibus

Omnibus temporibus impij suae sanctitati,
suis sacrificijs & uarijs operibus, ab ipsis
excogitatis plurimum tribuerunt, ut in
Ethnicis, Phariseis, & Iudaeis idolatris est uide-
re, qui prā deuotione, ac quod in ea re summam
pietatis ponebant, non solum sacrificia in infini-
tum cumulauerunt, sed etiam proprios filios sa-
crificauerunt. In misericordiam uero DEI gra-
tuitam minimum confisi sunt, minimeq; Deum ue-
re agnoscere studuerunt.

Horum utrumq; iam planè faciunt papistae,
nosq; ferro & igni persequuntur, quod dicimus
solum esse in misericordiam DEI confidendum,
ac in lege Domini populo Christiano die ac no-
cte meditandum. Item quod dicimus praecipuum
ac longè gratissimum cultum DEO esse inuocare
eum in die tribulationis, ut ipse Psalm, 50. testa-
tur.

Atq; adeo in hanc partem papistae pecca-
runt, ut orationem ipsam, quae nihil aliud est
quam mendica quaedam diuini auxilij implora-
tio, transtulerint in meritum, atq; ideo cumula-
runt preces, uelut beneficia quaedam Deo colla-
turi diligenterq; supputarunt globulis, ut scirent,
quantum DEO dederint, ac quantum uicissim ab
eo reposcere debeant. Planè ut fit in contracti-
bus in

bus inter mercatores. Quis quaeso ferat superbis mendici petentis ab aliquo diuite eleemosinam, ac sentientis se in ea ipsa mendicatione magno beneficio cum, à quo petit, affecisse?

V I.

AFFirmat Psal. 50, Veram orationem esse præcipuum cultum DEI, & haud dubie est præcipua nota ueri Christiani. Papiſte autem non uere orant, quod multis modis probari potest.

Primum quia ne ipsi quidem ita sentiunt de sua oratione, tanquam sit imploratio gratuite misericordiae DEI, sed tanquam sit opus quoddam meritorium apud DEVM aut sanctos, ac ueluti beneficio quodam eos afficere se existimant, ut iam dictum est. Estq; papistis oratio, datio quædam beneficij, non petitio.

Deinde, quia non solum non docent credendum esse quod orantes exaudiamur, sed etiam contendunt omnino dubitandum esse an exaudiamur. Cum tamen CHRISTVS Marci. II. Clare dicat, propterea dico uobis. Omnia quaecunq; orantes petitis, Credite quod accipitis, & erunt uobis. Indicans hoc esse præcipium quiddam ac ueluti animam orationis.

Tertio, quia nemo eorum cum orat cogitat, se ac

se accedere & orare DEVM per meritum medi-
atoris CHRISTI, & habere ibi aduocatum filium
Dei, sicut scriptura docet faciendum, imo plane
nesciunt, quid garriant.

Postremo quia papistarum oratio, planè
conuenit cum Ethnica oratione, quam CHRIS-
TVS Matth. 6. descripsit his uerbis, uerum oran-
tes ne sitis multiloqui sicut Ethnici, opinantur
enim fore, ut per multiloquium suum exaudian-
tur. Ac sane notissimum est papisticam oratio-
nem plane quandam βαττολογίαρ esse, Multum
garriunt, nesciunt quid garriant. Eodem modo
DEVM, CHRISTVM, Diuam uirginem, homines
mortuos, statuas, & aliquas uestium reliquias allo-
quuntur, & patrem suum appellant, cumq; mul-
tum diuq; balbutiuerint, ac sine mente sonum de-
derint, putant se præclare orasse, & magnum
quiddam à Deo uel sanctis promeritos esse.

VII.

Papistici spirituales opes, potentiam, ac ho-
nores longè ambiciosius quærunt, quam ulli
laici. Imo ne hoc quidem contenti sunt, sed
etiam uolunt sibi summos Monarchos pedes oscu-
lari, quod cum toties CHRISTVS prohibuerit,
procul dubio argumento est id, eos à malo spiritu
agitari, C Impossi-

VIII.

Impossibile est retinere ueritatem doctrinæ
Christianæ, præsertim longo tempore, cum tan-
tum ac tam feruentem hostem habeat, nempe ip-
sum Diabolum, nisi uere pios eruditos, ac in suo
officio diligentissimos Doctores habeat, cuiusmo-
di Paulus uult esse Timotheum, cum scribit, 2. Ti-
mo. 4. prædica sermonem, in sta oportune, impor-
tune, argue, increpa, exhortare, &c.

Certo autem certius est, uulgoq; etiam notis-
simum, spirituales papisticos iam longo tempore
fuisse, impios, indoctos, & in docendo populo
negligentissimos, uel potius, ut uerius dicamus,
totum hoc docendi Ecclesiam munus contempnisse.
Sunt enim, fueruntq; iam aliquot seculis eiusmo-
di, cuiusmodi eos Mantuanus iam olim depinxit.

Petriq; domus polluta fluente
Marcescit luxu, nulla hic arcana reuelo.
Non ignota loquor, liceat uulgata referre,
Sic urbes populiq; ferunt, ea fama per omnem
Iam uetus Europam mores extirpat honestos.
Sanctus ager scurris, uenerabilis ara cynædis
Seruit, honorandæ diuum Ganymedibus ædes,
Quid miramur opes recidiuaq; surgere tecta.

Thuris

Thuris odorati globulos & cynamā uendit
Mollis Arabs, Tyrij uestes, uenalia nobis
Templa, sacerdotes, Altaria, sacra, corone,
Ignes, Thura, preces, cœlum est uenale Deusq;.

Cum igitur talibus non hominibus, sed planē
portentis papa Ecclesias Christi uendiderit, uel
potius prostituerit, dubium ne, queso te pie le-
ctor, esse potest, quin Christiana religio multis
modis sit corruptissima?

Quoniam autem hoc argumentum pulcher-
rime Ezechielis. 34. comprehenditur, ac simul
promissio adiuncta est, quod DEVS liberabit
suam Ecclesiam ab huiusmodi pastoribus, ideo lo-
cum quoq; eum asseribemus.

ET factum est uerbum Domini ad me dicens,
Fili hominis propheta de pastoribus Israel, pro-
pheta & dices pastoribus. Hæc dicit Dominus
Deus, uæ pastoribus Israel, qui pascebant SE-
METIPSOS. Nonne greges à pastoribus pas-
cuntur? Lac comedebatis & lanis operiebamini,
& quod crassum erat occidebatis, gregem autem
meum non pascebatis, Quod infirmum fuit non
consolidastis, & quod egrotum non sanastis.
Quod confractum est non alligastis, & quod ab-
iectum est non reduxistis, & quod perierat non
quæstistis. Sed cum austeritate imperabatis eis, &

cum potentia. Et disperse sunt oues meae, eo quod non est pastor: & factae sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & disperse sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in uniuerso colle excelso, & super omnem faciem terrae dispersi sunt greges mei, & non erat, qui requireret. Non erat quisquam, qui requireret: propterea pastores audite uerbum Domini. Viuo ego dicit Dominus Deus, quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, & oues meae in deuorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor. Neque enim quaesierunt pastores gregem meum, sed pascebant pastores SEMETIPSOS, & greges meos non pascebant. Propterea pastores audite audite uerbum Domini, haec dicit Dominus Deus. Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu ipsorum, & cessare faciam, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos, Et liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam, &c.

IX.

Petrus colligit Simonem Magum licet conuersum ad Christianismum, esse in amaritudine animae, quia donum Dei pecunia existimauit.

mauit. At si papam eiusq; spirituales ex hoc scelere, censere liceret, animaduertemus eos non solum errare posse, Sed etiam sine intermissione, longo iam tempore Diaboli spiritu agitados esse. Obijciunt hic Papistæ, fatemur prælatos esse impios, sed tamen Ecclesiam DEI bene gubernant. Contra respondet Paulus. 1. Timoth. 3. Quod si quis propriæ domui non bene præsit, quomodo is Ecclesiam DEI rectè gubernabit?

X.

Impij sentiunt ueritatem doctrinæ petendam esse, ex mortuis & spectris, ut ille diues ad patrem Abraham loquitur, & ut impij Esaiæ. 8. contendunt. At pij contra ex Mose & Prophetis ueram religionem discendam esse docent.

Constat autem, nec ullo modo negari potest, papisticam religionem maxima ex parte, ex spectrorum apparitionibus extructam esse, præcipuè autem purgatorium & Missæ priuata. Pleni sunt eorum libri, istiusmodi spectrorum apparitionibus & responsis, Ac sanè fit rectissimè secundum Pauli prophetiam. 2. Timoth. 4. ut cum CHRISTVM audire nolint, qui est lux, ueritas, & uia, audiant Diabolum patrem mendacij. Eodem pertinet quod & hoc tempore, cum tam mul-

tis tamq; manifestis sacre scripturae locis nostram
doctrinam confirmemus, tamen eo contenti non
sunt, sed miracula quærunt, sicut olim pharisei à
Christo.

XI.

Impij semper solent alligare pietatem ad certa
loca, tempora, personas, uestes, quod papistae
uel maximè faciunt. Quod notius est, quam
ut probari necesse sit. Contra inquit Christus
Ioan. 4. ueri adoratores ubiq; adorant in spiritu
& ueritate, quam sententiam nos sequimur.

XII.

Falsa doctrina semper fuit plausibilis huma-
no iudicio. Nam ita tota composita & ex-
cogitata est ad ostentationem, ut quam max-
imè spectatores capiat & alliciat, prolixis preca-
tionibus, multis sacrificijs, uestibus, iciunijs, asperi-
tate uitae, & similibus, quae humana stultitia mag-
noperè admiratur, suspicit, ac supra modum san-
cta esse putat, sicut Paulus ipse affirmat, eiusmodi
religiones habere formam pietatis, sed uim eius
penitus abnegasse.

Contra, uera doctrina, quia est quiddam ab
humana ratione alienum, quod caro & sanguis
eam reuelare non potest, utpote ex sinu eterni
patris.

patris per unigenitum filium prolata, & præterea
minime ad ostentationem composita, durus sermo
uidetur, nihil eximium inesse putatur. Quemad-
modum longe existimabantur sanctiores Pharisei
& Saducei, qui orabant, ieiunabant, & alia san-
ctissima opera faciebant, quam Christus & Apo-
stoli, qui cum publicanis & peccatoribus come-
debant. Non poterant intelligere Pharisei, qui
possibile sit, ut publicanus ille Lucae. 18. discesse-
rit iustior, quam Pharisæus. Aut quomodo pub-
licani & meretrices præcessuræ erant ipsos in
regno cælorum.

Eodem planè modo, papistica doctrina, cum
sit tota composita ad hypocrisim stultæ plebeculæ
ac superstitionis uetulis, ipsissima sanctitas est.
Nostra uerò prædicatio Euangelij alijs stultitijs
alijs scandalum est. Eiq; ubiq; resistitur, sicut
Iudæi ad Paulum inquit Actorum ultimo.

XIII.

Quemadmodum ueritas est (ut uetus dictum
habet) simplex, mendacium autem multi-
plex, ita & uera religio simplex est. Do-
cet tantum pœnitentiam & remissionem pecca-
torum in nomine Christi. Atq; hæc summa uere
doctrinæ fuit & ante Christum & post, & planè

inde à condito orbe, nec aliud fuit nomen sub coe-
lo datum, per quod homines saluari possint, sicut
Petrus Actorum 4. testatur.

At falsa religio omnibus temporibus infini-
tum quoddam chaos fuit, non una ratio salutis
existimata est esse, sed mille, quod clare in falsa
Iudaica religione, Ethnica & papistica cerni po-
test. Alius enim per intercessionem alicuius sancti
saluatur, iudicio papistarum, alius per peregrina-
tiones, alius per missas & officia pro mortuis, ali-
us per bullas sanctissimi, alius per Emptionem me-
ritorum alicuius ordinis, ac alius per alia.

Non mihi si linguae centum sint oraq; centum.
Ferre uox, omnes papae comprehendere cultus,
Omnia sacrorum percurrere nomina possim.

Quis enim pro merito hanc tam uariam chi-
meram possit depingere, ut tamen aliquo modo,
summam illam uarietatem mente complecti pos-
sis, uide quam multi, quamq; uarij sint Monacho-
rum & Monacharum ordines, aliorumq; spiritu-
aliu. Plane sicut Helias olim dicebat, se solum es-
se, cum sacerdotes Baal fuerint quadringenti, sic
hoc tempore ubi spiritualium papisticorum mille
fuerunt, satis iam sunt ueri doctores uiginti.

Certissi-

XIIII.

Certissimum est ueram religionem ita tranquillitas ac pacatas reddere conscientias, ut leti & uiuant & moriantur homines, non dubitantes, quin sibi peccata remissa sint, eaq; die sint cum Christo futuri. Iuxta illud, si quis Biberit de hoc fonte, non sitiet.

Contra, falsa est ipsissima carnificina conscientiarum, nunquam potest tranquillare animos, ignorant enim, sint ne accepti Deo aut non. Imo tandem in morte concludunt se damnatos esse, sicut de hemorroissa legitur, quæ ex curatione hominum subinde peius habebat, CHRISTI autem ope statim integrè curata est.

Notum est & illud, papistas plerosq; in morte non habuisse pacatam conscientiam, quod inde probari potest, quia tam uaria remedia missarum, peregrinationum, Bullarum aliarumq; uisgarum quesierunt. Sicut Erasmus eorum mortem uiuis coloribus in Funere depingit.

Multi etiam, eorum doctrinæ homines precipui, in magna desperatione mortui sunt. Notissima tamen sunt exempla Latomi, Eccij, Ioannis Hoffmeister qui omnes fuerunt insignes papistici Theologi. Ac deberet profecto exemplum

C 5

Ioannis

Ioannis Hoffmeister in primis copiose perscriptum
Ecclesie DEI proponi. Neq; enim est dubium,
quin Deus illud tam insigne exemplum irae suae,
ac in tali persona, ibi potissimum prope Augustam
contingere uoluit, ut scirent impij uiuere adhuc
CHRISTUM, puniturūq; acerrimē istos obstinatos
uerbi diuini contemptores, ac corruptores.

Sed ad rem, certum est papisticam religio-
nem miserē conscientias excruciasse. Idq; papi-
sticis spiritualibus perplacuit, Fuit enim eis que-
stuosum. Nam dum miseri homines uaria reme-
dia, afflicte conscientie quærunt, Marsupia spiri-
tualium distenduntur.

Contra & illud est notissimum, multos ho-
mines nostrae doctrinae in diuersis locis ualde læ-
tos accepta consolatione ex uerbo DEI, ac nomi-
ne Domini nostri IESU CHRISTI inuocato, non
solum in lecto, sed etiam in martyrio, quo à pa-
pistis affecti sunt, in aeternum DEI angelorumq;
consortium commigrasse. Cuiusmodi mortem pij
hominis Erasmus in eodem illo dialogo depinxit.

Quin & parui pueri annorum 7. 10. 12. &
14. Catechismo instituti longe tranquillius, ac
iniori spe uite aeternae, & inuocatione filij DEI
apud nos moriuntur, quam papistici theologi &
magni

magni Magistri nostri. Quod multa exempla probant ubiq; locorum. Hic Magdeburgi ante annum pestis uehementer grassata est, quo tempore multi pueri & puellæ ita Christianè mortui sunt, ut & parentes & alios, qui affuerunt, magis tam pulchra morte exhilararint, quam suo discessu contristauerint, alij eorum pro ciuitate, magistratu, & parentibus ardentè orarunt, alij parentes consolati, alij suos fratres & sorores ad pœnitentiam & timorem Dei hortati, deniq; omnes se uehementer Deo per Christum commendarunt, certaq; signa Spiritus Sancti in corde eorum abba pater clamantis præbuerunt, quod uerissime à me narrari multi graues uiri & foemine hic testari possunt.

Sed talia piæ uitæ exempla non sunt rara in nostris Ecclesijs, ut facile negantes conuincere possimus. Quare etiam ex hoc effectu quænam sit uera aut falsa doctrina dignosci potest.

XV.

Vera religio procul dubio aliqua saltem ex parte multorum ex ijs, qui eam discunt, mores emendat. Nam Spiritus Sanctus est per uerbum efficax.

Notissimum autem est, quod spirituales pa-
pistici.

pistici sint longe omnibus flagicijs contaminatio-
res, quam ipsum uilissimum uulgus. Econtra cer-
tum est multos in nostra religione honestissime
uiuere, presertim autem eos, qui magis in medi-
tatione huius doctrinae uersantur, certe passim ex
ciuitatibus, quoad eius fieri potuit, libidines ex-
plose sunt, ac est passim inter papistas in exteris re-
gionibus audire huiusmodi uoces dici de aliquo
(ut illi uocant) Lutherano. Est bonus & honestus
homo, uerum incidit in istam phantasiam Lu-
theranae heresis.

Possemus & multorum tum doctorum tum
auditorum passim in nostris Ecclesijs honestae uitae
exempla commemorare, idq; presertim eorum,
qui nostrae doctrinae addictissimi sunt, sed ea sunt
multis nota, ut commemoratione non magnopere
indigeant.

De D. Martino Luth. papista sine fine men-
titi sunt, presertim in locis remotioribus, ubi rei
ueritas minus nota fuit, sed Erasmus tertio anno
post inceptam doctrinae instaurationem sic Loua-
nio in quadam epistola scribit: Martini Lutheri
uitam apud nos nemo non probat, de doctrina
sententiae uariant. Ego ipse Erfordiae in Augu-
stiniano monasterio audiui anno 1543. senem
ac papistam adhuc monachum, qui dicebat se 40.
annia

annis in eo monasterio uixisse, ubi D. Martinus
uixerat octenio, affirmabat igitur is Mart. Luth:
apud ipsos sancte uixisse, exactissime regulam
seruasse, & diligenter studuisse.

Proinde & ipsa honesta ac inhonesta uita,
eorum praesertim, qui aut nostrae, aut aduersariae
doctrinae addictissimi sunt, indicare potest, nostra
ne aut aduersariorum doctrina sit uerior.

XVI.

RES ipsa docet falsas religiones non solum
aeternam uitam hominibus adimere, sed
etiam alioqui multis modis uitae hominum
obesse. Iam perpendamus num id papistica quo-
q; faciat.

Primum aufert papatus honestatem morum.
Vbiq; enim omnia eorum spirituales complent li-
bidinibus, alijsq; turpitudinibus, quod accidit,
tum quia uulgus eorum exemplo ad turpitudines
inuitatur, tum etiam quod mulieres semel ab eis
corruptae necessario deinde scorta fiunt, nemo
enim eas amplius honeste habere uult, Vere autem
a me dici, quod spirituales omnia libidinibus com-
pleant, inde animaduerti potest, quod ubicumq;
sunt plurimi sacerdotes ac monachi, ibi quoq;
sunt plurima scorta, ut Romae, Moguntiae, Traie-
cti & alibi.

Secundo

Injta regula
Monachorum
in Monasterio
Egidiano Br
Suzae parisi
inscriptam:
Fratres literas
nesciat, nec illas
discreta rivat.
Contra horum
hinc paulo su
im Thimot:
et oes Ecclesie
doctores ad su
dium, attende,
ingens, lectum
H.

Secundo opprimunt literas et omnes bonas artes, quæ ad honestam et ingenuam quandam vitam pertinent, idque summe conantur, ut vulgus quam maxime servile, et pecudibus simillimum efficiant. Nolunt enim aliquem ipsis aut sapientiore aut meliorem in vulgo esse, qui eorum vitia, errores, turpissimamque vitam reprehendere possit, sicut et Nero Senecam præceptorem vivere ferre non poterat, ne eius turpitudines ab eo improbarentur. Nam honestus liberaliterque institutus animus non facile vult obtemperare nisi honesta et utilia obtemperanti, hac igitur causa moti, et alioqui quod ad perniciem omnis honestatis nati sunt, in hoc toti incumbunt, ut vulgus planè rusticum et servile efficiant, sibique ueluti bruta quedam subjiciant.

Tertio politiam et leges multipliciter laerant et turbant. Neque enim unà cum alijs civibus, superioribus potestatibus et magistratibus, iuxta Pauli regulam, subiecti esse uolunt, sed sibi propria quedam iura suæ utilitati aptissima, propriumque regimen excogitarunt.

Eo suo sanctissimo iure non tantum priuatos homines, sed etiam ciuitates, regiones, et principes, atque adeo ipsos Reges et Cæsares eò usque subiugarunt, ut eos cogere et iurare sibi tanquam

quam subditos, & etiam, quod turpius est, pedes
osculari.

Ob hanc iurium & regiminis diuersitatem
quam multa bella ciuilia tum alibi per orbem
terrarum, tum in primis in Germania excitarint,
abunde historici commemorant. Ipsi ob quamuis
causam etiam iniustissimam non tantum inferio-
ris conditionis homines sed etiam Reges & Cæsa-
res excommunicarunt, eorumq; subditos iura-
menti obligatione liberarunt.

Quiuis sacrificulus nactus bullam a papa uel
eius procuratoribus, integras regiones territare
eisq; imperare potuit. Solis ipsis licuit honesto-
rum ciuium uxores & filias impune corrumpere
easq; abducere, quis enim cum eorum opibus ac
potentia certare, quisue eos Romam, aut quocun-
q; demum illi appellabant, maximis sumptibus uia-
teq; periculo sectari potuit? Summa, pleraq; om-
nia bella inter Christianos iam longo tempore
aut solum à spiritualibus, aut præcipue excitata
sunt, ac etiam administrata.

Quarto, omnino maximam & optimam partem
bonorum temporalium ad se rapuerunt, atq;
adeo diuites facti sunt, ac potentes ubiq; locorum,
ut reliquum uulgus fuerit maxima ex parte (proh
dolor) tantum famuli, & scorta eorum.

Postremo

Postremo multis modis miseros homines vexaverunt istis suis ceremonijs ac obseruationibus, sicut Paulus quoq; Colos. 2. dicit, huiusmodi religiones ne corpori quidem prodesse. Contra, uera religio in his omnibus ad Ecclesie utilitates maxime est accommodata.

XVII.

Sicut olim contra CHRISTVM, Apostolos, & in primis paulum, predicantem eternam salutem gratis per meritum filij Dei contingere credentibus, Pharisei insurgent, & obijcebant eos abrogare legem, tollere bona opera, & dare infinitam peccandi licentiam, ut est Rom. 3. Legem igitur irritam facimus per fidem? Item cap. 6. Manebimus igitur in peccato? Et in alijs locis: Sic nos quoq; Papistici spirituales, eorumq; factio zelantes pro cucullis, alijsq; nugis, & calumniantur & persequuntur. Ac in summa, si quis recte rem perpendat, maxima est similitudo nostrorum temporum, cum Apostolorum temporibus, nostrorum aduersariorum & eorum, qui Apostolis aduersati sunt.

XVIII.

Vera fides multum predicatur in scripturis, & est plane causa efficiens Christiani, sicut

ni, sicut est Ioannis primo cap. Quotquot autem
receperunt eum, dedit eis potestatem, ut liceret
filios Dei fieri, uidelicet his, qui credidissent in
nomine ipsius, Et in alijs infinitis locis Spiritus
Sanctus testatur.

Papistæ hanc ueram fidem non habent, quod
probare facillimum est. Nam papistæ negant esse
aliam fidem, quam noticiæ, id est, credere Deum
esse creatorem cæli & terræ, benefacere bonis, et
malefacere malis, &c. Non uolunt quenquam
certo confidere sibi peccata remissa esse, iuxta il-
lud Matthei. 9. confide filii remittuntur tibi pec-
cata tua.

Hanc autem fidem noticiæ etiam multi im-
pij, & ipsi Diaboli omnium maxime habent, de
quo dubium non est.

Est uero necesse aliam quandam esse illam
ueram fidem, qua uere filij Dei sumus & æternæ
uite hæredes, quam tantopere scriptura commen-
dat, quam ea sit, quam etiam Diaboli habent. Se-
quitur igitur plane necessario papistas, quando-
quidem ueram fidem non habent, non esse ueros
Christianos, nec ueram doctrinam habere.

XIX.

D

Olim

Olim post uocem Euangelij ubiq; inter Eth-
nicos disseminatam cessauerunt oracula
Diabolorum, aliaq; spectrorum appariti-
ones, sicut id Lactantius & Plutarchus in libello
de interitu oraculorum testatur, quanquam Plu-
tarchus, quia non erat Christianus, ueram rei cau-
sam ignorabat. Id planè & hoc tempore accidit,
nam fermè omnino conquierunt spectrorum ap-
paritiones, aliaq; similes Diaboli præstigiæ.

XX.

Indubitatum est solos ueros Christianos senti-
re tentationes Diaboli, nam impij ut Ethnici
& alij, cum sint captiui Diaboli, ultrò ac li-
benter faciunt ea, ad quæ Diabolus eos incitat,
atq; ita cum non resistant, nulla fit pugna, nec
ipsi incitationes Diaboli animaduertunt.

Porro papistæ tentationes non sentiunt, quod
ex eo probari potest, quia neq; in sermone fami-
liari neq; in contionibus, ac ne in scriptis quidem
eorum serij quicquam de tentacionibus dicitur.
Deinde etiam experientia id abunde testatur. Ita-
q; illis fides est res facillima, aiuntq; ualde facilem
fore salutis uiam, si sola fide saluaremur. Quod
ideo dicunt, quia non experiuntur in tentationi-
bus, quam sit difficile ueram fidem retinere.

Quis

Quia tamen audiunt esse Diabolum, eumque
pessimam bestiam, armant se contra eum. Sed qui-
bus quaeso armis? Num Christi, nempe scuto fidei
& gladio spiritus, qui est uerbum DEI, ut est
Ephes. 6? Non haec arma illi uident, sed armis
antichristi, nempe consecratis candelis, herbis,
cruce, rotula cerea, quae dicitur Agnus DEI,
Aqua benedicta, quae est tantae efficaciae ut etiam
in templis, cum aspergunt populum, papistici spi-
rituales accimere soleant. Aqua benedicta, dele-
at tua delicta, sit tibi salus & uita, Armant au-
tem se his armis non, ne tententur à Diabolo, sed
ne alicubi eos non satis munitos per gradus deici-
at, aut alioqui eis ceruicem frangat.

XXI.

Semper maxima & potentissima pars orbis
terrarum falsam religionem amplexa est,
minima uero imbecillissima, addo etiam stul-
tissima, ueram. Sicut Paulus 1. Corin. 1. docet his
uerbis. **Q**VAE stulta erant secundum mundum,
elegit Deus, ut pudefaceret sapientes. Et quae
erant imbecilla in mundo, elegit Deus, ut pudefa-
ceret ea, quae sunt robusta, & quae ignobilia erant
in mundo contemptaque; elegit Deus, & ea quae
non erant, ut ea quae sunt obliteraret.

Et CHRISTVS appellat suos pusillum grea-
gem, præcipue autem summi magistratus raro
ueram doctrinam amplectuntur, sicut inquit pau-
lus, non multi nobiles, &c.

Hoc idem planè & hoc tempore accidisse
uidemus. Itaq; offenduntur homines hac imbeci-
llitate Ecclesiæ, & uerorum doctorum, ac di-
cunt, isti ne plus saperent, quam Papa, Cardina-
les, Cæsar, tot reges, &c. planè sicut olim &
Iudei & gentes offendebantur, Christi & Apo-
stolorum paupertate & uilitate, nec poterant in-
ducere in animum eam esse ueram religionem,
quam illi barbari homunciones docerent. Ita &
hoc tempore nostra imbecillitate, nostris calami-
tatibus, fortassis etiam peccatis maxima mundi
pars abalienatur. Spirituales quoq; paucissimi
conuertuntur ad hanc doctrinam sicut & tempo-
re Christi accidebat, atq; ita latet istos summos
uiros infans CHRISTVS in loco uilissimo uilissi-
mis pannis inuolutus, quantumuis multum ua-
giat.

XXII.

ATq; ex hoc præcedenti signo oritur causa
cur uera religio semper seditiosa, sem-
perq; blasphema indicetur, falsa uero
obediens

obediens magistratibus, quia cum magistratus
plerunq; sint impij, eadem uolunt ac præcipiunt,
quæ & impij doctores, qui etiam plerunq; ordi-
nariè officio funguntur, pij uero doctores, quos
Deus plerunq; extra ordinem, ac ut plurimum hu-
miles & abiectos excitat, non obediunt in religi-
one magistratibus, sed dicunt magis esse obedi-
dum Deo quàm hominibus, ac simul reprehen-
dunt & magistratum & impios doctores, tan-
quam blasphemos.

Atq; ideo seditiosi, & ut minimum schisma-
tici uocantur, cum uerius illi lacerent Ecclesiam
CHRISTI, qui instigati à sathana ueritati CHRI-
STI resistunt.

Idem plane & hoc tempore accidit, Euan-
gelici doctores dicuntur seditiosi, quia nolunt
obtemperare papæ, ac magistratibus, in ijs, quæ
apertè contra uerbum DEI præcipiunt, quantum-
uis in politicis obediunt exacte. Papistici uero
doctores appellantur obedientes, & catholici,
quia quicquid ait papa, aiunt & ipsi, quicquid
negat papa, negant & ipsi, siue id Deo probetur
siue improbetur.

XXIII.

Virgilius inquit, sic omnia fati in pocius ruc-
re & retro sublapsa referri. Quod non

D 3

solum

solum in profanis rebus, sed etiam in religione
uel maximè accidit, quia diabolus uerbum DEI
magis, quam quicquam aliud, labefactare co-
natur, quod factū uidemus ante aduentum CHRI-
STI sæpius. Sed DEVS subinde aliquem excita-
uit, qui ueram doctrinam collapsam instauraret.

Cum igitur ab Augustino, qui labefactatam
doctrinam à Pelagianis, alijsq; hereticis aliquo
modo restituit iam mille anni elapsi sint, uerisi-
millimum est in tot rerum turbis, tanta prælato-
rum negligentia & ambitione, plurima in do-
ctrina Ecclesiastica corrupta esse.

Occlamant aduersarij, Ecclesia errare non
potest, sicut olim sacerdotes Iudaici dicebant pro-
phetis, Templum Domini, Templum Domini. Item
non peribit Lex à Sacerdote. Respondeo, uerum
est non potest errare Ecclesia in ipso fundamento
nempe Christo. Nam si & in eo errat non est
amplius Ecclesia, At interim præcipui & pleriq;
gubernatores errare possunt unà cum maxima
parte auditorum, & tamen Deus seruat sibi sep-
tem millia, quos non permittit incuruare genua
coram Baal, ut tempore CHRISTI, pontifices, sa-
cerdotes, scribæ, & pharisæi, ac pars populi
maxima, qui tamen Ecclesia & populus Dei uo-
cabantur et uocari uolebant, toto cælo exarabant.

Interim

Interim tamen pauci aliqui & contempti ut Zacharias, Elizabeth, Ioseph, D. Virgo, Simon, Anna, Pastores, Magi, & alij aliqui non errabant, sed Christum aduenientem agnoscebant, & læti obuijs ulnis excipiebant. Ita & his annis iam sexcentis aut amplius fuerunt multi pij, quod etiam aliquorum scripta testantur, quibus tamen ab impijs Ecclesiæ Titulus minimè concedebatur. Sed papæ cum suis fratribus Cardinalibus, alijsq; spiritualibus Ecclesiæ catholicæ titulum sibi tribui rapuerunt, qui tamen nihil minus egerunt, quam ut serio aliquando de uera religione cogitarent, talis cæcitas in populo Dei sæpe ante Christum accidit, ut uetus testamentum indicat.

XXIII.

Psalms 58. dicit impios non aliter obturare aures, ad prædicationem ueræ doctrinæ, quàm assis surda ad incantationem incantantis. Quod etiam experientia testatur, ut Act. 7. nolebant audire Iudæi Stephanum, sed aures suas obturabant, sicut ne Christum quidem uolebant audire, sed tandem lapides tollebant, & ita lapidibus argumenta Christi dissoluebant.

Hoc quoq; plane eodem modo nostro tempore accidit, nolunt audire penitus nostras ratio-

nes, aut si aliquando audiunt tamen non plus apud eos ualent, quam si dictæ non fuissent, quantumuis firmæ ex sacris literis adducantur. Sicut fassus est cardinalis Moguntinus Albertus, Multa esse uera in nostra doctrina, non posse tamen nobis concedi, quod sic Ecclesiæ ac spiritualium authoritas labefactaretur, pro exemplo proposuit coniugium sacerdotum, quod dixit euidentissimè probari ex sacris literis, & tamen si illud unicum concederetur, totum spiritualium ordinem corruiurum esse.

Ratisbonæ in comicijs Anno 1541. celebratis, Euicerant nostri articulum iustificationis, & quosdam alios, quid profuit nobis? tantumdem, quantum si uicti & non uictores fuissetus. Ac plane sicut olim nihil proderant excusationes Christo, quanto magis Pilatus dicebat, quid mali fecit? Tanto pontifices & sacerdotes magis furiose clamabant, Tolle, Tolle, crucifige, crucifige. Ita & nobis hoc tempore accidit, nullæ sunt tam firmæ rationes, etiamsi sint ex sacris literis rectissime citatæ, quæ uel hilum apud papistas ualeant, sed tantum clamant crucifige, crucifige, infinitosq; his temporibus optimos uiros papistæ inaudita causa crudelissimè trucidauerunt.

Christus

XXV.

CHRISTVS Matth. 23. dicit falsos doctores colare culicem, & deuorare camelum, id est, res minimas ac friuolas diligentissime obseruare, uera autem religionis capita negligere.

Quod omnium uerissime dici potest de papistis, qui longè maioris faciunt suas ceremonias, ut Monachum tali ueste indutum esse, Item certis diebus certos cibos non comedere, ut die ueneris carnes, quam præcepta primæ uel secundæ tabulæ. Plane sicut olim Pharisei nolebant intrare in prætorium Pilati, quo possent mundi comedere pascha, interim pro peccato non ducebant tradere CHRISTVM. Sic & nostri Pharisei minus putant se peccare, si decem pios homines suis calumnijs delatos apud magistratum interfici curarent, quam si una die officium emurmerare neglexerint, aut si quos gestus intermissandum non satis rite expresserint, sed hanc præposteram religionem satis Erasmus in suis colloquijs exagitauit.

XXVI.

CHRISTVS prædicit omnibus ueris Christianis futurum, ut impij eos ex synagogis
D S exclu.

excludant id est excommunicent, & ut omnis, qui interfecerit eos, uideatur cultum prestare DEO, quæ iam aptissimè de nobis dici posse, ne aduersarij quidem negauerint. Et omnino omnia ea quæ Luce 10. & 12. & in primis Matthei 10. de cruce piorum, de persecutione, & dissidijs propter religionem dicuntur, conueniunt nostris temporibus tam aptè, ut possint uideri tantum de his ipsis nostris calamitatibus scripta esse. Animaduertendum hic etiam est, quod cum Christus prædicat suis, fore ut excommunicentur, simul indicat, fore ut aliquando præcipui gubernatores Ecclesiæ & maxima populi pars à uera religione deficiat, si enim persequantur ueros Christi ministros, necessario erunt impij, non potest autem hoc intelligi de Apostolis, nam illi iam erant excommunicati, ut apparet ex cap. Ioannis. 9. & 2.

XXVII.

Sancti, qui propter ueræ doctrinæ professionem necati sunt, Martyres sunt nominati, propterea quod etiam sanguine suo testati sint, quanam sit uera doctrina de Deo, nec sane debet hoc testimonium contemni, necesse enim est eos diuinitus Spiritu Sancto corroborari, ut leti ac constanter ueram doctrinam confitentes mortem oppo-

tem oppetant, quandoquidem cruciatus illi, & mors ipsa humanas vires longè exuperent.

Notius autem est, quam ut probare necesse sit, plurimos eosq; honestissimos homines his annis triginta letos ac constanter instauratam iam beneficio Dei lucem Euangelij consentes, durissima supplicia subiisse, nec viros solum, sed & mulieres atq; adeo teneras puellas, notum enim est inter cetera exemplum de duabus uirginibus anno 45. prope Dauentriam exustis, quæ historia separatim impressa est.

Dicent papistæ & se habere martyres innumeros, qui pro eorum doctrina occubuerint, uerum id nunquam probare poterunt, nemo enim illorum sanctorum martyrum mortuus est pro primatu papæ, pro purgatorio, pro priuata Missa ac Sacramenti prophanatione, nemo pro aqua benedicta, alijsq; similibus papæ erroribus. Sed qui passi sunt, ideo sunt passi quod uel prædicauerint penitentiam & remissionem peccatorum in nomine CHRISTI, ac huic sententiæ coniuncta, uel alioqui quod huic doctrinæ testimonium præbuerint, quam doctrinam cum & nos iam unicam amplectamur, & illi ipsi martyres ad nos pertinent, non ad papistas, nostramq; illi doctrinam uel CHRISTI potius, non papisticas impietates suo sanguine confirmarunt. Mira.

XXVIII.

Miracula testantur de doctrina, quæ tamen, ubi semel accepta est, nec amplius necessaria esse uidentur, nec à Deo fieri permittuntur, sicut accidit post acceptum ubiq; terrarum Christianismum, & CHRISTVS ipse uolebat ubiq; miracula facere, quanquam impij id uehementer flagitarent.

Etsi igitur miracula iam non ita propalantur & conspicuè fiant, sicut antea fiebant, quando quidem non sunt amplius necessaria ad confirmationem doctrinæ. Habet tamen CHRISTI Ecclesia miracula, & hoc tempore satis magna & multa, quanquam impij ea non uident, sicut nec CHRISTI quidem miracula uidebant, aut certe uidere uolebant. Ideo dicebant, Quod miraculum facis? Item, da nobis signum de coelo.

Possunt autem multa recitari, & alia alijs nota sunt. Ego unum tantum iam commemorabo quod Accidit Brunswigæ Anno 1547. Fuit puella circiter 13. annos nata, quam ego ipse uidi. Ea aliquandiu ab immundo spiritu misere exagitata est, Tandem uero continuis piorum precibus & priuatim & publicè in templis factis, ita penitus à Sathana liberata est, ut non solum modestè

deste postea uixerit, sed etiam multa signa pietatis
præbuerit. Hæc historia notior in ea urbe est,
quam ut uerear, ne quis me mendacij coarguat.
Acciderunt & VVitembergæ uiuente Luthero
aliquot eiusmodi exempla.

Sunt autem hæc miracula etiam propterea
maioris faciendæ, quod peracta sint non incan-
tatione & exorcismis Magicis, nec ad hunc finem,
ut aliqua idolatria confirmetur, sicut pleræq;
omnes præstigiæ magis quam miracula apud pa-
pistas acciderunt. Nam Deus non exaudit preces
impiorum & hæreticorum. Cum igitur tam cla-
rissimis signis indicet Deus, se nostrarum Ecclesia-
rum preces exaudire, certum signum est nostram
doctrinam esse ueram.

Est & hoc magnum miraculum, quod hæc
doctrina contra inueteratos errores, per tam im-
becilla organa ac contra tam multos, tamq;
potentes aduersarios, ac tam pertinaces, tam latè,
propagari potuerit, ut & in Turcia & in Cy-
pro, & etiam penè sub ipso polo arctico doctrina
hæc innotuerit. Hoc miraculum, si uolunt, etiam
impij possunt uidere.

Illud uero tantum pij admirabuntur, quod
tanta sit DEI bonitas ac eius in Ecclesia præsen-
tia, qui suum uerbum tam clarè & tam explicatè
orbi

orbi terrarum hoc tempore proposuerit, ut uix
fuerit in Ecclesia tam clare caelestis doctrina ex-
plicata, ex quo orbis terrarum conditus est, de
miraculis Antichristi postea aliquid prolixius di-
cetur.

XXIX.

ORnat Christus multis donis Ecclesiam, aliis
tamen alijs sunt conspectiora, certè sacræ
literæ tam dilucidè uersæ, multiq; loci ac
questiones inextricabiles iam per nostras Eccle-
sias explicatæ & illustratæ (quod ne aduersarij
quidem negare possunt) indicio sunt, nostros
præceptores non uulgariter interpretationis,
linguarum, & prophetiæ donis diuinitus ditatos
esse.

Contrà, papistæ non solum non habent hæc
dona, sed ne curant quidem, Imo uero penitus ex-
tinguere conantur linguas ex Ecclesia, quod pro-
bati potest ex decreto concilij Tridentini, in quo
statuerunt, ne quisquam ausit in ullo loco de ue-
teri translatione ambigere. Quis autem erit usus
linguarum? si non licebit Bibliorum locos aut
perperam aut obscure uersos ex ipsis fontibus de-
clarare & corrigere, quin illi etiam propalam
clamant, linguas causam heresium esse, atq; ita
dona Dei contumelia afficiunt.

Falsæ

XXX.

Falsarum doctrinarum initia sunt ignota & obscura, verae autem religionis nota & illustrata. Ratio est, quia diabolus cum sciat sua dogmata esse falsissima, non statim simul omnia proponit, sed paulatim labefactat ueram ueritatem, & suos errores inducit, ita ut homines non animaduertant, sicut & Paulus dicit. Falsos doctores subintrare.

Hoc modo olim apud posteros primorum patrum, paulatim irrepsit falsa religio magis ac magis, donec tandem in Ethnicismum degenerarunt, quod potest probari ex multis sacrificijs Ethnicis, quae adhuc primorum patrum ritus praese ferunt, sic & tota chimera papistica orta est, nemo nouit certo unde & quando sit orta doctrina de purgatorio, priuata Missa, cultus sanctorum, indulgentiae, & tota illa lerna errorum papalium. At uero nostra doctrina (nempe quod non sit aliud nomen sub caelo per quod saluari homines possint, quam per Christum) notum est ubi incoepit, quibus sit postea reuelata clarius, & nihil omnino in ea est, quod non sit πεπληροφωρημένον, sicut Lucas in principio sui Euangelij loquitur.

Christus

XXXI.

Christus dicit Iohan. 3. mendacium fugere lucem, uereri enim ne coarguatur: Veritatem uero diligere lucem, neq; enim timet fore ut coarguatur falsitatis. Ex qua sententia liquido cognosci potest, papistas esse sibi pessime conscios, & scire suam doctrinam esse falsissimam, nam illi planè exhorrent lucem, id est, omnem liberio rem suæ causæ cognitionem, non aliter quam mortem.

Quod multis modis probari potest, primum ipse papa multis legibus sanciu it, ne quisquam de eo iudicare præsumat, ipse autem omnes possit iudicare uiuos & mortuos, summos & infimos, ut distinctione 9. quæst. 3. Item Distinctione 40. capite. Si papa contendit, dicit, quod etiamsi innumerabiles animas ipse secum in infernum ad æternam damnationem traheret, tamen neminem debere præsumere iudicare ipsum. Item passim in alijs locis contendit se esse supra concilia.

Hoc ob quid aliud contendit, nisi quia uidet se plurima & facere & docere, quæ nullo modo laudari possunt? Nam etiam Deus sustinet suam causam iudicari, ut inquit Esaie, 5. iudicate inter me & inter uineam meam.

Deinde

Deinde his annis 30. cum sæpius nostræ Ecclesie eorum fidei confessionem petierint, nunquam ausi sunt dare, at nostri libenter dederunt.

Tertio libros nostros non patiuntur à suis legi, nostræ Ecclesie contra ferunt eorum libros à populo legi. Quæ quæso est alia huius diuersitatis causa, nisi quod ipsi quidem suæ cause diffidunt, nos uero nostræ non diffidimus?

Postremo, cum tam diu parturierint istud suum concilium, nempe iam annis propemodum 30. tamen nunquam ausi sunt, ac ne adhuc quidem audent liberum concilium dare, ubi possit nostra pars tuto reddere rationem suæ cause.

Hoc est certissimum, ac in Italia notissimum, papam non antea ausum esse inchoare concilium Tridentinum, quam certo sciret Cæsarem se iam contra nostros armare. Quale autem est quæso te optime lector hoc iudicium, ubi non prius fiat cause cognitio, quam aduersarius armis abigatur? ut ipsi scilicet tantum sanctissimi papæ filioli sint accusatores, iudices, & defensores.

Addamus & illud quod eos pios homines, quos nefarij isti Iudæ suis Pilatis uel Pharaonibus potius iugulandos propinant, non audent permittere causam dicere coram illis ipsis suis Pharaonibus,

E

nibus,

nibus, adeo bene norunt quam uincibilem causam habeant.

Cum igitur isti ipsi ueritatis inimici de sua causa pessime sentiant, ut, cum ex praedictis, tum uero & ex alijs quam plurimis signis facillimum est animaduertere, Quid est quod quispiam ad dubitet, utra religio sit uerior?

XXXI.

Falsi cultores Dei, cum non uere Deum agnoscant, non timeant, non fidant in Deum, non inuocent, & tamen colant Deum, putant illas suas actiones ex opere operato, id est, tantum illa ipsa acta, qualiacunq; sunt, Deo placere, qualiscunq; demum sit persona, pia aut impia.

Talis fuit tota Ethnica religio, falsa Iudaica, & Pharisaeica. Talis nunc est papistica. Ut exempli gratia, cum suam Missam missant, aut suas horas demurmurant, aut in templis boant, putant illa ipsa suauissima Musica, & illo eorum garritu, & Missatione supra modum delectari Deum. Etiam si ipsi sint impij, & animus eorum sit uel in patinis, uel etiam in lupanari.

Hoc est nimirum illud, quod Christus dicit Matth. 15. & Esaie 29. Iste populus labijs me honorat, cor autem eorum procul à me est. Tales sunt

sunt pleræq; omnes papisticæ preces. Qui enim potest cor adesse, cum non intellecta garriant, perinde ac cum psitacus non intellecta canit? Nostra uero doctrina, Apostolorum ac prophetarum plane est huic dogmati de opere operato contraria.

XXXIII.

P Paulus Rom. i. affirmat falsas religiones sequi horribiles libidines, idq; experientia restatur. Nam in Idolatrijs Iudaicis, Ethnicismo, & nunc in Mahometismo omnia sunt polluta turpissimis libidinibus.

An uero sint etiam in papatu, & præsertim inter spirituales, libidines, unusquisq; cogitet. Nemini enim non est auditum, & etiam re compertum, quam horribilia spirituales papistici perpetrent. Illud est certissimum, quod ubi sunt plurimi papistici spirituales, ibi sint etiam plurimæ ac monstrosæ libidines, Ac ut ille ait.

Sanctus ager scurris uenerabilis ara cynædis,
Seruit, honorandæ diuum Ganymedibus ædes &c.

Intellexi ex fide dignis hominibus, fuisse his temporibus Traiecti quendam magnum canonicum, qui solitus sit gloriari, se quadraginta uirgines uitiasse. Cogita quid cum alijs non uirginibus egerit. Sed omittamus hæc præclara papa-

lium spiritualium facinora recensere, quæ piæ aures sine offensione ac pudore audire non possunt. Ex eodem hoc signo potes & de Anabaptistica religione iudicare, quorum dictærium notum est meus spiritus concupiscit tuam carnem. Contra nostræ Ecclesiæ, quantum omnino possibile fuit, has Turpitudines undiquaq; extirparunt.

XXXIII.

HActenus in præcedenti signo ostendimus papistarum religionem esse falsam ab effectu, quia habet magnas turpitudines libidinum, sicut omnes idolatricæ religiones semper habuerunt. Iam Deo iuante ostendemus etiam effici & augeri errores per sacerdotum libidines.

Nam certe dubium non est, quin illi, qui in libidibus perseuerant, non possint uel Spiritum Sanctum, uel bonam conscientiam, uel inuocationem, aliaq; fidei exercitia habere, quin potius a malo spiritu regantur, qui enim peccat, seruus est peccati.

Porro doctrina Christiana ab humana ratione plane intelligi non potest, ut 1. Cor. 2. Spiritus Sanctus affirmat, inquiens, animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt, siquidem stulticia ei sunt.

sunt, nec potest ea percipere, Nam spiritualiter iudicantur. Sic saepe aliàs Euangelium mysterium appellatur, quòd sit absconditum à sapientibus seculi huius.

Quare facile animaduerti potest, quàm foeliciter Euangelium Christi papistici spirituales docuerint, qui turpissimis libidinibus contaminatissimi fuerunt. Docuerunt nimirum ea, quæ stultorum ratio et malus spiritus eis suggestit, ad easq; suas cogitationes uerbum DEI accommodarunt.

Notissimum enim est spirituales maxima ex parte iam annis amplius 700. turpissime uixisse. Nam S. Vlricus Episcopus Augustanus scripsit prolixam Epistolam ad Nicolaum primum papam pro defensione coniugij sacerdotum, in qua Epistola scribit, iam tum in ijs locis, ubi coniugium spiritualibus ademptum fuit, tum sacerdotes, tum Episcopos ipsos adeo fuisse libidinibus deditos, ut ne sodomiticis quidem turpitudinibus abstinerint, quin insuper quosdam se etiam brutis miscuisse.

In eadem Epistola est, quod, cum S. Gregorius papa semel iussisset piscari in quadam piscina, inuenerint piscatores 6000. capitum infantium, fortasse fuit piscina prope aliquam frequentiam

monasteria Monacharum, qualia in Italia sunt plurima, quod malum uidens Georgius uenire ex coelibatu spiritualium, magnopere facti cum poenituerit, decretumq; illud de sacerdotum coelibatu irritum fecerit. Vixit autem Gregorius ante annos 1000.

Sed, ut ad rem reuertamur, concludimus, cum ita fuerint immersi in libidines spirituales papistici iam amplius mille annis, atq; ideo non Spiritum Sanctum, sed spiritum Satanae habuerint, necessario Euangelij doctrinam nec intelligere, nec alios docere, nec contra falsos doctores defendere, potuerunt. Sed senserunt, docuerunt & scripserunt ea, quae eis stulta ratio & Satanae Spiritus dictauit. Atq; ita doctrinam coelestem & religionem multipliciter deprauarunt & corruperunt.

XXXV.

PAulus inquit 2. Timoth. 3. Omnes qui pia uiuere uolent, in Christo persecutionem patientur. Ad Hebraeos uero 12. affirmat illos qui non castigantur spurios esse, & non germane filios Dei. Iam tu mihi cogita an papistae praesertim spirituales, hisce annis quadringentis, admodum quidquam passi sint. An non uero potius quibusuis Epicureis suauius & mollius cuticulam curarint, genioq; indulserint. Dicit

Dicet aliquis à Lutheranis eos passos esse, ne
id quidem est uerum, nam nusquam est scuitum
in eorum corpora, nusquam ita omnino priuati
sunt Ecclesiasticis redditibus, ut non relinquerentur
ipsis ad uictum necessaria.

Plane igitur in eis uerificatum est, quod
Diabolus dixit ad Christum, si procidens adora-
ueris me, hæc omnia dabo tibi. Nam ipsi habue-
runt simul ocium, maximas opes, summos honores,
plurimas & suauissimas uoluptates, quod toti mun-
do est notissimum, soli ipsi non comederunt panem
in sudore uultus sui.

Nostræ uero doctrinæ homines & doctores,
& auditores, præter labores ac sudores suæ uni-
us cuiusq; uocationis, nemo non cruciat, & falsi
fratres, & aduersarij persecutores, & Diabolus,
Imo & Deus ipse, iuxta dictum Pauli, quem enim
diligit Dominus corrigit, & castigat omnem fi-
lium, quem recipit.

Proinde cum notissimum sit, nostræ partis
homines, nostrasq; Ecclesias omnigenis calamita-
tibus in hac ualle miseriarum inuolui, papistas ue-
ro, præsertim spirituales, mollissimè & suauissimè
in hac uita crapulari, quid dubij reliquum esse
debet, utri nostrum sint spurij aut genuini filij
cælestis illius patris?

XXXVI.

PAulus affirmat, quod qui Spiritum Christi non habet, is non sit uere Christianus.

Papistæ, id est, qui omnino papæ doctrinam probant et nostram condemnant, non habent Spiritum sanctum, quod ipsorum conscientia teste probare possum, quin & ipsimet hoc fatentur, cum in sermone quotidiano (solent enim dicere, ego non possum intelligere sacras literas, quia non habeo spiritum sanctum) tum uero in primis in eo, quod sentiunt dubitandum esse de uoluntate Dei erga nos. Eo enim ipso clare affirmant se non habere in corde suo spiritum præbentem testimonium spiritui eorum, quod sint filij Dei, ac clamantem, abba pater.

Nostræ autem doctrinæ homines habere Spiritum Sanctum, primum possum probare apud ipsos pios facile, sentiunt enim in pectore testem illum, abba pater clamantem.

Deinde possum etiam ipsos aduersarios de hac re conuincere ex eo, quod, sicut alio loco diximus, non possunt negare, quin nostræ Ecclesiæ habeant dona Spiritus Sancti, ut interpretationem & similia. Verissimum enim est quod affirmat Paul. 1. Corint. 12. Neminem posse aliter dicere

Domina

Dominum Iesum, quam per Spiritum Sanctum.
Quare quantumuis aduersarij repugnent impu-
denter, non possunt tamen uitare, quum conscien-
tia eorum eis ogganiat, doctrinam de Christo nul-
lo modo potuisse tam clare explicari, ut à Lu-
thero explicata est, sine singulari Spiritus Sancti
opera. Cuius hoc est officium, ut scilicet doctri-
nam de Christo diligenter hominibus inculcet &
declaret, non doctrinas humanas, aut subinde ali-
quid noui papæ reuelet, ut papistæ garrunt.

XXXVII.

IMpij cum uerbo DEI suos errores tueri non
possunt, muniunt se autoritate hominum, cum
presentium, tum uero eorum, qui ante aliquot
secula decesserunt. Muniunt se etiam consuetu-
dinibus, quæ in Ecclesiam quoquomodo irrepse-
runt, ac eas patrum & Ecclesie doctrinam ap-
pellare non uerentur, sicut ad Christum dicunt
Pharisei, quare discipuli tui transgrediuntur tra-
ditiones Maiorum?

Sic nobis hoc tempore clarum & purum
uerbum Dei afferentibus aduersarij occlamant,
Patres, Patres, Ecclesia, Ecclesia. Fassi enim sunt
in comicijs Augustanis anno 1530. celebratis,
aduersarie partis doctores nostram doctrinam

E 5

uerbo

uerbo Dei oppugnari non posse, sed autoritate patrum posse, quanquam ne patrum quidem dicta citant sincere, nec eorum doctrinam sequuntur.

Omnes errores, qui quoquo modo in Ecclesiam irrepserunt, patrum & Ecclesie doctrinam esse affirmare non uerentur, cum sint uerius demeritorum doctrine, ut etiam Paulus affirmat.

Scripturam uolunt ad normam doctrine Scriptorum accommodare, qui aliquot seculis fuerunt post Christum & non contra, cum tamen toties patres & de suis, & de aliorum scriptis profiteantur, quod sint eatenus accipienda, quantum cum uerbo Dei conueniant, & fateantur esse in suis scriptis errores non paucos. Vide August. ad Vincentium uictorem lib. 2. ad Paulinam Epist. 112. Contra Cresconium Grammat. lib. 2. cap. 32. Epist. III. ad Hieron. Epist. 19. ad Bonifacium lib. 4. cap. 8. & 12. Chrisost. Hom. 49. Super Mattheum.

XXXVIII.

Simplex est ueritatis sermo inquit Eurypides, Sat mendacium cum in se infirmum sit, multis indiget medicaminibus, nec dubium esse, quin ita se res habeat, omnes etiam uulgo sentiunt, iuxta uulgare dicterium. Quod ad tuendum
dum

dum unum mendacium septem alijs opus
fit.

Cogentur autem fateri omnes, qui uel me-
diocriter de sermone iudicare possunt, nostrorum
doctorum scripta, esse clarissimo & syncerissimo
sermone scripta, aduersariorum uero scripta plea-
nissima esse multiplici sophistica, alibi generalia,
alibi amphibologica, alibi obscura & alijs ac
alijs modis intorta.

Hoc sophistici papistarum sermonis artifi-
cium, etsi sæpe nostri præceptores coarguerunt,
tamen liber, qui Chœclei Rhetorica inscribitur,
prolixius id depingit. Annotauimus & nos, cum
Brunswigæ ante biennium sextam Tridentinis
concilij sessionem explicaremus, supra 10. regu-
las sycomphantia illorum sermonis.

Quemadmodum igitur in foro atq; adeo in
tota uita ex obscuro, inuoluto & insincero ser-
mone peccata, fraudes ac pessimum animum sub-
esse animaduertimus, ita & istos iures si examina-
uerimus, facile ex eorum sermone peruerso certa
indicia criminis depræhendemus, quandoquidem
teste Christo unusquisq; ex proprio sermone uel
iustificatur uel condemnatur.

XXXIX.

Doctrinans

Doctrinam à seipsa diuersam ac secum pugnantem ueram esse non posse certum est, ac nemo de eo dubitat. Nam ueritas sibi ipsi bene constat, ac secum undiquaq; concordat, falsitas uero ipsa secum pugnat.

Ac quoniam hic est campus ille, in quo papistæ sæpe ouantes decurrere solent, cum uolunt ostendere suam doctrinam esse ueram, nostram uero falsam, ueritatem concordiamq; suæ doctrine ac Ecclesiæ prædicando, nostræ uero discordiam, dissensiones, sectasq; accusando. Proinde operæ præcium fuerit de hac re paulo diligentius aliquid dicere.

Primum autem respondeamus papisticis maledictis de nostrorum discordia. Dicimus igitur ante omnia, summam iniuriam nobis papistas facere, idq; contra propriam eorum conscientiam, quòd Ecclesias nostras cum papisticis aliorumq; phanaticorum spirituum cœtibus commiscent, tanquam nos omnes simus una Ecclesia, atq; ita probare uolunt nostras Ecclesias non esse concordas ac diuersa sentire. Sciunt enim Anabaptistas à nobis condemnari tanquam hæreticos, nosq; ab eis uicissim, esseq; confutatam anabaptisticam doctrinam magis à nostris quàm ab ipsorum doctoribus, proinde cur nos cum eis miscent, à quibus sciunt disiunctissimos esse? Obijci-

Obijciunt illi, ex nobis esse ortos, atqui hoc falsissimum est, nam mendacium non oritur ex ueritate. Eodem modo nos possemus dicere eos, ex ipsis ortos esse, atq; hoc iaculum in ipsos papistas retorquere. Quanquam autem fatetur scriptura ex uera Ecclesia falsos doctores exorituros esse, tamen seminantibus bonum semen fraudi esse non debet, quod Diabolus non patitur purum semen crescere, sed magno studio simul seminat zizania.

Deinde asserimus, idq; facillime probare possumus, quod inde à temporibus Apostolorum nullos duos scriptores (sint sane Augustinus & Hieronimus, qui & coetani & amici fuerunt) inuenire possis, qui tam sint concordēs in suis scriptis, quam iam 20. etiamsi præcipuos nostros doctores deligas. Sciunt etiam ipsi papistæ in omnibus nostris Ecclesijs ita doctrinam Christi tradi, sicut ea in Domini Philippi locis communibus comprehensa est.

Proinde concludimus inuito diabolo & mundo in nostra doctrina ac nostris Ecclesijs esse summam concordiam, prout omnino in hac corrupta natura esse potest.

Iam etiam de papistarum concordia discordia dicamus. Primum autem dicemus de discordia
& con-

Et concordia ethnicorum, est enim maxima similitudo ethnicismi cum papatu, seu propemodum res eadem.

Etsi apud gentiles nemo negare potest fuisse summam religionum et cultuum diuersitatem (numerant quidam circiter 30000. deorum ethnicorum) tamen fuerunt inter se concordēs. Diabolus alium contra alium propter religionem non incitauit, nec ullam gentilem religionem extinguere conatus est. Omnes enim perinde ei fuerunt lucrosae, nec ulla regnum eius oppugnauit, bene contentus fuit Romanos praecipue Iouem colere, Athenienses Mineruam, Cyprios Venerem, Tracas Martem, Carthaginenses Iunonem. Nulla illarum fuit ei haeretica, sed omnes plus quam Catholicae. Nunquam incitauit patrem contra filium, aut contra matrem contra filiam, aut contra. Itaque quanquam apud Ethnicos fuit summa uarietas religionum, tamen summa fuit unitas, summa concordia.

Sic et apud papistas quanquam alius alium sanctum coluit, et alius aliter eundem, item alius aliter seruari uoluit, fuitque magna uarietas Monachorum et Monacharum, sacrificulorum, et superstitionum, tamen propterea non sunt ortae tam conspicuae dissensiones, quales iam sunt in Ecclesia.

Fuit

Fuit quidem aliqua contentio inter Monachos, quorum nam religio sit melior, & cuius sanctus sit melior mediator, omnes tamen fuerunt catholici. Diabolus nullos condemnauit hæreseos, nullos persecutus est, nullum ex illis cultibus admodum abolere curauit. Credidit unusquisque quod uoluit, nec sciuit, quid crederet, quidue sit uerum, quid falsum. Sequutus est unusquisque suam opinionem, ea res Diabolum non offendit, nunquam incitauit patrem contra filium, matrem contra filiam aut è conuerso, non gentem contra gentem, non principem contra principem, Etiam si alius in alium sanctum, cultum, opus, ordinem, spem suam collocauit. Nam ex omnibus illis cultibus perinde lucrum suum accepit, quare omnes pro catholicis orthodoxis habuit. Atque hæc est causa quare non sunt adeo conspicuæ dissensiones in papatu.

Esse tamen in doctrina papistica summam uarietatem & discordiam potest ex istis ipsis tantum uarijs cultibus, ordinibus, uijs ad æternam salutem & similibus probari. Probauit etiam hoc Erasmus in Enchiridij præfatione & alijs.

Narrat pulchram historiam piæ memoriæ D. Mar. Luth. in sua admonitione, quòd Auguste in quadam disputatione coram quibusdam principi-

principibus primum Ekius probauerit sanctos inuocandos esse, quia & in ueteri testamento sint inuocati, ad quod cum Philippus & Brentius respondissent, ac forte Brentius inter cætera dixisset, nusquam in ueteri testamento inueniri sanctos inuocatos esse, ibi statim Cocleum parum memorem quid collega antea asseruerit subiiecisse, sanctos ideo in ueteri testamento non esse inuocatos quia adhuc fuerint in limbo, quod ubi audiuit Princeps Saxoniae conuersus ad Ekiuum dixerit, en habes D. doctor solutionem tui argumenti. Vnde apparet, quàm pulchre concordent in sententijs, uel potius ipsi nesciant, quid sentiant.

Fuit in papatu receptissima doctrina, quod homines sint saluati ante Mosē per legem naturalem, post Mosē per legem Mosi, post aduentum autem Christi per legem Christi, eam iam & multas alias receptissimas opiniones in concilio Tridentino condemnauerunt. Ita seipsos condemnant & sibi contrarij sunt. In Interim iam reijciunt errorem de opere operato Missæ & pro eo nouum substituunt, aiunt esse sacrificium applicatiuum, quod neq; ex sacris literis probari potest, nec ipsi antea ita senserunt.

Ita quemuis errorem recipere malunt, quàm ueritatem. Sed de papistica doctrinæ antilogijs postea aliquid dicemus prolixius. Attigi-

XL.

Attigimus in hoc precedenti signo & aliam quandam notam, eamq; minime contemnendam, quod S. Diabolus, cum error regnat ac tenet omnia, ut in ethnismo & papatu, non excitat propter doctrinam dissidia inter homines, hæreses ac alias calamitates. Nam cum ille fortis, id est, princeps mundi huius, diabolus tenet palatium ac imperium suum, in tranquillitate regnat, sed cum uenit alius armatus fortior, cumq; uult expugnare, tum demum horribile certamen ac grauia dissidia oriuntur ac orbis terrarum concutitur.

Sicut apparet post aduentum Christi, quam multi hæretici, quam multe dissensiones ortæ sunt, non solum inter ciues unius ciuitatis, sed etiam inter domesticos atq; adeo fratres, parentes & liberos, cum antea & apud Iudeos & ethnicos esset concordia.

Causa horum tantorum malorum non est proprie Euangelium, ut Diabolus & eius filij mentiuntur, sed ipse Satan, qui omni bono operi resistit. Nam etsi fatetur sane Christus, se non uenisse mittere pacem in terram, sed gladium, & alioqui passim in sacris literis appellatur Christus pe-

F

stus pe-

stus petra scandali, tamen hoc non accidit proprie eius culpa, sed Diaboli & impiorum. Nam Christus ideo uenit & ideo passus est, ut homines per eum, & in hoc mundo omnia bona, & in altero æternam uitam acquirant, idq; ipsum docet, & præterea hortatur omnes sedulo ad amandum Deum & proximum.

Verum Diabolus, cum uidet per Christum ac eius Euangelium sua opera, suumq; regnum destrui, in hoc totus incumbit, ut errorum mendacijs, ac cedibus Christo aduersetur, eius doctores persequatur & interficiat.

Quare excitat sua mancipia, ubicunq; illa sunt, siue inter Apostolos, siue inter Phariseos & Sacerdotes, eisq; abutitur in oppugnando Christi Euangelio, alium incitat ad excitandam aliquam heresin, aliū, ut uel calumniando uel, ui uel, quomodo potest pios doctores persequatur. Quod cum ex Apostolorum temporibus animaduerti potest, sicut iam est dictum, tum & ex nostris.

Nam D. M. L. pie memorie, sepe scribit sibi ex quo coepit prædicare Euangelium, fuisse certamen cum 22. heresibus. Persequutiones uero piorum quante sint & fuerint his annis 30. quid enumerare est necesse, cum nullus non locus iusti Abelis sanguine madeat? Quid de infinitis insidijs,

insidijs, quos pijs impij hoc tempore struxerunt, quanquam Dei beneficio non omnia eis successerunt, quid uero de dissensionibus etiam coniunctissimorum hominum dicam, quas ne cogitare quidem sine maximo dolore possumus?

Proinde isti ipsi furores Diaboli & ista eius indignatio indicat eum ab aliquo grauer lesum ac irritatum esse. Item istae ipsae Zizaniae haeresium subinde pullulantes indicant, alicubi & bonum semen à patrefamilias recens seminatum esse.

Porro quoniam data pace Iudaeis, Turcis, Epicureis, spiritualibus, alijsq; impijs, in nos solos furorẽ suum toto hoc tempore praedicati Euan-gelij conuertit, certissimum indicium est, nobis eum iratum esse, nosq; contra eum grauer peccasse.

Proinde istae ipsae calamitates, ex quibus papista probare uolunt nostram doctrinam esse impiam, sunt certum indicium apud omnes eos, qui uel mediocriter in sacris literis uersati sunt, uel saltem 10. cap. Matthaei legerunt, quod nostra doctrina sit uerissima.

Esset sane hic percommoda occasio retundendi Diaboli et papistarum uirulenta mendacia, qui, cum sint omnium malorum primarij fontes,

tamen in nos & Euangelium Christi omnia reijciunt, tanquam ipsi sint penitus innocentes, cum tamen nos nihil nisi salutarem doctrinam Christi afferamus, neminem interficiamus, omnes Christianos in summa pace ac tranquillitate uiuere optemus, proq; seruanda ueritate nihil non patiamur.

At ipsi contra nihil aliud agant, quam ut Christianos contra Christianos inflamment. Notum enim est eos solere clamare in suis concionibus nullam uictoriam de Turcis haberi posse, nisi trucidatis Lutheranis, unde apparet eos longe magis Christianum quam Turcicum sanguinem sitire. Sed sunt hæ impiorum sycophantiæ prolixæ à multis confutatæ, & nos prolixitatem de industria fugimus.

XLI.

Verbum Dei calumniari, plane est proprium ipsius Diaboli artificium, qui etiam nomen ab hoc suo opere nactus est. Scit enim Diabolus uerbum Dei tantum esse eum gladium Spiritus Sancti, quo solo contra eum fortiter pugnare possumus, ut etiam Paulus Ephesios sexto testatur. Quare hoc unice agit, ut & singulis pijs & toti Ecclesiæ uerbum Dei eripiat.

Efficit

Efficit autem hoc per malos doctores, non solum deprauando sententias sacrarum literarum, sed etiam totam scripturam auferendo. Quod nunc plane per papistas agit, & iam olim egit. Contendunt enim, illi etiam editis scriptis, sacras literas esse obscuras, ambiguas, ex eis omnes hereses & schismata oriri, rectius igitur aliunde uitae regulam peti posse. Laicis certe plane scripturas ex manibus eripiunt. Atque ita hoc unice agunt, ut oues Christi à uoce ipsius ad sua decreta, bullas papae & somnia traducant.

Nos uero contra contendimus uerbum Dei esse unicam lucernam pedibus nostris propositam, esse ueram uiam & ipsissimam ueritatem.

Hinc igitur facile apparet, papistas, quoniam uerbum DEI sine fine calumniantur, opprimunt, & uituperant, esse Diaboli filios, utpote qui eius ingenium pulchre exprimant.

XLII.

EXclamat Vergilius de auaricia: Auri sacra fames, quid non mortalia cogis pectora? Affirmat & Paulus eam esse omnium malorum radicem, inducere multos in laqueos Satanae, facere aberrare à fide, & eò perducere doctores, ut religionem putent questum esse.

Notum autem est papisticos spirituales con-
gerendæ pecuniæ deditos esse, & iam diu fuisse,
omnia facere & pati pro pecunia, omnia sunt eis
uenalia, & cœlum & inferi & ipse Deus. Cardi-
nalatus, Episcopatus, Canonicatus, Decanatus,
non meliori & doctiori, sed plus afferenti dan-
tur.

Cum igitur spirituales papistici turpissimæ
auariciæ mancipia fuerint, quis dubitat, quin reli-
gionem nostram ita inflexerint & intorserint, ut
eis quam plurimum lucri afferret?

Sed stulti sumus, qui hoc signis probare ue-
limus, cum res ipsa magna uoce clamet omnia in
papisticis templis & cultibus ad quæstum compo-
sita esse & fuisse. Nusquam non prestant tabellæ
& arcæ petaces. Missæ, nenie mortuorum se-
pulchra, bullæ, indulgentiæ, opera supererogati-
onis & plane omnia eorum nugamenta pro pec-
cunia uenduntur. Quam multa miracula & apa-
ritions uel animarum, uel angelorum, uel san-
ctorum tantum lucri gratia eumentitæ sunt? qua-
rum tamen uanitas etiam ab ipsis papistis sepe
deprehensa est.

Concionatores papistici semper ferme cõ di-
rigebant suas conciones, ut pecunias mendicarent.
Nullum

Nullum plane est testamentum, in quo non esset scriptum, Item relinquo pro anima mea.

Quomodo autem quaeso ipse papa orbem terrarum expoliauit & diripuit? magna quaedam summa pecuniae fuit, quam tantum ex Anglia habuit pro agnus Dei alijsq; quibusdam nugis.

Contra nostra religio tantum docet poenitentiam, remissionem peccatorum & noli amplius peccare, nec ullam admodum occasionem habet petendae pecuniae. Atq; haec adeo causa est, quare iam minus homines conferant in ministerium, quam antea, quia scilicet in papatu hoc spirituales uehementissime egerunt, & plane extorserrunt opes hominibus. Nostri uero doctores neq; uoluntatem habent tam turpiter petendi, neq; si maxime uelint, occasionem tantam eis Christi doctrina suppeditare potest.

Concludimus igitur, quod cum aduersarij totam suam religionem ad lucrum direxerint, necessario ob auariciam multa in Christiana religione corrumperunt.

XLIII.

NON potest negari D. Mar. Luth. in inuocatione Dei certa spe uita aeterna, & doctrina

doctrinae, quam docuit confessione mortuum esse.
Affuerunt enim non tantum doctores, sed etiam
comites & comitisse, qui hoc testantur.

Est autem talis eius mors certum signum ue-
ritatis in nostra doctrina. Primum enim obstruit
os illis, qui mentiuntur propter, nescio quas cau-
sas eum contra papam scribere incepisse. Alij
sunt, quia non potuerit à papa cardinalatum
impetrare, alij, quia noluerit ad se pertrahere
papatum, item alij alia, si enim propter illas tem-
porarias causas id fecisset, nã ille in morte earum
oblitus fuisset.

Præterea cum in morte, conscientia & dia-
bolus miseros homines accuset, non potuisset
tantis rebus motis, & tam multis duriter accusa-
tis tam letus mori, nisi & conscientiam bonam
habuisset, & ei Spiritus Sanctus affuisset, qui in
corde eius clamavit abba pater, eiq; testimonium
præbuit quòd filius Dei sit. Coclei calumnie mor-
tis D. Mar. Luth. adeo sunt futiles, ut ne respon-
sione quidem dignæ sint.

XLIII.

IN omnibus rebus multorum peritorum ac can-
dide suam sententiam profitentium, iudicium
magni fieri solet & debet.

Certum

Certum autem est, quod non solum in Germania, sed etiam in alijs omnibus regionibus omnes boni uiri, qui serio timent Deum, cum primum recte nostram doctrinam intelligunt, eam quidem approbant, papisticam uero condemnant.

Huiusmodi uere honorum & intelligentium uirorum consensus nobis plane ipsissimum orbis Christiani concilium est, in ipso Christi Spiritu & non in papæ congregatum.

Cum igitur omnes pij ac Christiane doctrine periti homines nostram doctrinam approbent, eamq; etiam uitæ periculo multi confiteantur, contrariam uero damnent, sequitur igitur nostram religionem esse ueram, papistarum uero falsam.

XLV.

David Propheta Dei sanctissimus, appellat uerbum Dei lucernam pedibus suis propositam, nec credo cuiquam sano homini dubium esse, quom ubi uerbum Dei est, ibi & Dei ueram cognitionem esse, & uiam æternæ salutis patere.

At neglectam fuisse hanc uerbi Dei lucernam & sub scamnum abiectam iam annis 500. superius sepius diximus. Probare autem hoc possu-

mus eum ex theologis libris præteritis temporibus scriptis, in quibus aut meræ fabulæ & Monachorum somnia continentur, aut philosophicæ aliqua ex Aristotele, Platone et similibus Prophetis & Apostolis desumpta. Tum ex querelis piorum hominum, nam inter cæteros de hac re etiam Dantes ante annos 200. grauitè in suo poemate questus est his uerbis.

E t anchor questo qua su si comporta
Con men dis degno, che quand è posposta
La diuina scrittura, & quando è torta.
N on ui si pensa, quanto sangue costa
Semmarla nel mondo, & quanto piace
Che humil mente con essa s accosta.
P er apparer ciascu s ingegna, & face
Sue inuentioni, & quelle son trascorse
Da predicanti, e l Vangelio si tace.
V n dice, che la luna si ritorse
Ne la passion di Christo, & s interpose
Perche l lume del sol giu non si sporse,
E t altri, che la luce si nascose
Da se, pero a gl Hispani & a gl Indi,
Com a Giudei, tal eclipsi rispose.
N on ha in Fiorenza tanti Lapi & Bindi,
Quante si fatte fauole per anno
In pergamo si gridan quinci & quindi:
S i che

*S*i che le pecorelle, che non fanno,
Tornan dal pasco pasciute di uento,
Et non le scusa non ueder lor danno.
*N*on disse Christo al su primo consento,
Andate, & predicate al mondo ciance,
Ma diede lor uerace fondamento:

Cum igitur (quod constat) longissimo tem-
pore lucerna hæc ex domo Domini sublata fue-
rit, & sol hic ex orbe terrarum, & in locum eius
tenebræ humanæ rationis ac ethnicorum philoso-
phorum dogmata in Ecclesiam introductæ, quis
sanus dubitare potest, quin simul quoq; infinitæ
tenebræ & errores in Ecclesiam sint illapsæ.

XLVI.

*S*ola Ecclesia habet ueram doctrinam de ra-
tione pugnandi contra summum generis hu-
mani hostem, nempe Diabolum, alij coetus aut
ignorant hunc hostem penitus, aut ridicula que-
dam arma contra eum excogitant, ut faciunt Iu-
dæi nunc, qui circulis pictis demones à puerperis
abigunt, tales sunt & ethnicorum expiationes à
furijs.

Nostræ Ecclesiæ uere monstrant arma, qui-
bus contra Demonem pugnandum est. Nam se-
cundum Spiritus Sancti doctrinam docent pug-
nandum.

nandum esse scuto fidei & gladio uerbi Dei, quæ
arma ipsum Christum uictorem Diaboli & infe-
rorum in se continent & Satanae opponunt.

At papistæ qualibus quæso tandem armis se
contra Diabolum armant? mortuis quibusdam
creaturis, ut cruce, aqua benedicta, candela, ro-
tula cerea, quæ agnus Dei appellatur, herbis in-
cantatis, cucula, bullis. Quibus nugis diuinam
aliquam efficaciam tribuere non tantum summa
stultitia est, sed etiam impietas. Hoc enim est de-
serto fonte illo aquæ uiuentis, nempe, merito
Christi, qui fide in uerbo Dei bibendus fuisse, fo-
dere sibi puteos, qui aquam non habent, & plane
sequi Deos alienos. Nullum enim usq̃ mandatum
est, nos illis armis contra Diabolum uti debere,
nulla promissio, quod DEVS uelit per ea esse
efficax.

Propria igitur, eaq; impia temeritate papi-
stæ illis suis armis pro diuinitus monstratis contra
Diabolum utuntur.

Cum morientibus hominibus deberent pro-
ponere ex uerbo Dei solius Christi meritum, iu-
bere eos fidere soli Christo, qui pro nobis passus
est, Diabolum, infernum, peccatum & mortem
uicit. Atq; ista fiducia, istisq; promissionibus de-
bere eos Diabolo repugnare, tunc eorum spiritua-
les sua

les sua ista prædicta tela moribundo contra Dia-
bolum ministrant, eosq; in quæuis alia potius
(sed tamen illis lucrosa) fidere, quam in solum
Christum iubent.

Cum igitur nostræ Ecclesiæ recte doceant de
modo repugnandi summo generis humani hosti,
papistæ uero, abiectis & contemptis ueris diuini-
tusq; monstratis armis, suis quibusdam nugis fi-
dant, manifestum est nos ueram religionem habe-
re, papistas uero falsam.

XLVII.

Scriptura dicit Esa. 29. & Matth. 15. quòd
Simpj colant Deum mandatis hominum, id est,
omissis præceptis diuinis, secundum quæ debe-
bant Deo obedire, obediunt Deo secundum hu-
mana præcepta. Ut Iudæi putabant se magnum
scelus admittere si transgredierentur traditiones
patrum, Dei uero, non itidem.

Sic & papistæ totam suam religionem in
humanis traditionibus, temere receptis consuetu-
dinibus, & papæ, episcoporumq; decretis collo-
cant.

Longe maius scelus est eorum indicio tem-
pore ieiunij comedere carnes, quàm furtum aut
adulterium admittere. Magis peccare aiunt sa-
cerdotem

terdotem si habeat uxorem, quam si concubinam
teneat. Obedientiam humanis præceptis præsti-
tam longe præferant obedientiæ diuinis præcep-
tis præstitæ, illam enim appellant merita supere-
rogationis, id est, quibus non tantum id præsta-
mus, quod Deo debemus, sed etiam ultra præsti-
tum debitum meremur nobis & alijs uitam æter-
nam & omnia bona.

Contrà, nostræ Ecclesiæ secundum Christi
sententiam contendunt frustra coli Deum manda-
tis hominum, quare facile iudicari potest, utri re-
ctius magisq; Christianè sentiant.

XLVIII.

CHRISTVS Ioannis 8. dicit impios do-
ctores, & etiam auditores, hæc duo præci-
pue discere à suo patre Diabolo, mendaci-
um, & homicidium, id re ipsa compertum est in
Iudæis & alijs impijs, qui primum fraudibus ado-
riebantur Christum, & calumnijs eius dicta per-
uertebant, postea etiam aperta ui. Plena est hi-
storia Christi & sanctorum Martyrum, cuiusmodi
exemplis.

Perpendamus iam, num hæc sint in papistis,
ac primum de mendacio uideamus, in quo siue di-
ligenter persequi uelimus, ex quâ uarijs præstigijs,
ementi-

ementitisq; miraculis, & apparitionibus istam
suam lernam errorum consuerint ac conflarint,
siue quam multis falsissimis criminibus nos, no-
stram doctrinam, nostrosq; præceptores ubiq;
apud Magistratus & Monarchas calumnientur.
Dij boni quantus, quamq; latus campus nobis ape-
rietur? Verum quia breuitati studemus, unum aut
alterum solummodo exemplum proponemus, ex
quibus eos tanquam ex unguis leonem agnoscas.

Sit illud primum, quod ubiq; gentium men-
tiuntur, nos docere bona opera non esse facienda.
Item quod Romæ ante Triennium, uno anno ante
mortem D. D. Martini Lutheri piæ memoriæ,
Impresserant de eius morte, quam impiè sit mor-
tuus, prodigiosa quædam, quanquam exemplis
opus non est, cum ubiq; Monachi omnia menda-
cijs compleant. Vnicum me hercule scriptum
concilij Tridentini, quo uix ullum extat magis sy-
cophanticum, potest esse locupletissimum testimo-
nium, papisticam doctrinam atq; adeo ipsos do-
ctores, hac patris eorum arte instructissimos esse,
ut omittam illud, quod, quia lucem fugiunt, id est,
liberam cognitionem, sit certissimum indicium,
eorum omnia ex mendacijs consarcinata esse.
Nam mendacium lucem fugit, ueritas expetit.
Nostri uero, doctores an itidem sint hac turpi no-
ta in

ea insigniti, facile est iudicare. Primum ex eo quia nihil magis expetimus quam lucem, id est, liberam causæ cognitionem postea quia tam turpis est uita spiritualium, ut, etiamsi quid de eis dicamus, nihil tamen de eis tam uehementer dici possit, quin turpissima eorum uita feditate id superet. Postremo quia quod ad doctrinam attinet, omnia doctores nostri, quæ docent, ex sacris literis probant, non ex suis somnijs, ut si nos mendacij arguere uelint, eadem etiam opera sacras literas arguant, necesse est.

XLIX.

Consequens est, ut iam etiam de homicidio dicamus, nam, ut paulo antea diximus, Christus & hac nota insignitos affirmat esse impios doctores. Nihil autem facilius est quam probare, papam, aliosq; eius spirituales Christiani sanguinis auidissimos esse, nam, ut omittamus quam multorum quamq; funestorum bellorum inter Christianos papa et eius spirituales causa fuerit ante annos 30. cogitemus quam furiosè hoc tempore Cæsarem, reges & omnes homines, quos potuerunt, incitauerint ad bellum ciuile, et ad opprimendum recens ex tenebris reuocatum Euangelium, ubiq; quam maxime potuerunt, cognitionem cau-

nem causæ prohibentes, & solum crucifige crucifige clamantes, nam probare necesse non est, cum uel ex publicis eorum concionibus hoc sit toti orbi terrarum notissimum.

Ac si quis paulo diligentius rem perpenderit, eo magis mirabitur, istum diabolicum eorum furorem, quod incitarint monarchas ad sumendum bellum contra nos hoc tempore, quo potentissimus nominis Christiani hostis iam magnam partem Christiani orbis in seruitutem perpetuam redegit, ac reliquo iam imminet. Nonne hoc est planè Barrabam dimittere, & Christum crucifigere, à Turca pacem petere, & Christianos bellis affligere?

At nos contra non sanguinem sed salutem eorum desideramus, nec solum non seuiumus in eos, sed ne uictu quidē necessario carere passi sumus, etiam cum sciremus nobis esse infensissimos. Nam notum est, nec potest negari, passim in Euangelicis urbibus prospectum fuisse de uictu necessario papisticis spiritualibus, ea tamen condicione, ut suas impias cantilenas & Missas intermitterent.

Obijcient papistæ, nostros iam arma contra superiores Magistratus suscepisse, ad quod facile est respondere. Primum enim defensionis necessariæ gratia susceperunt, quod abunde est ab eis

G

scriptis

scriptis editis probatum. Deinde in eo ipso bello tam mites fuerunt etiam erga eos, in quos seuire potuerunt, ut hostes per contemptum eos uocarent misericordes bellatores, & passim in Bauaria fugerit misera multitudo rusticorum, a suorum amicorum exercitu ad nostrum, qui eis hostilis erat.

Hinc igitur apparet utri sint filij Diaboli, ac utrorum religio sit falsa, nempe proculdubio eorum, qui satanae artes, id est, mendacium & homicidium imitantur, & exprimunt.

L.

Vltimus locus & ualidissimus sit nobis ipsa papistarum confessio, qui cum fateantur errorem, procul dubio nobis uictoriam concedunt. Nihil enim expeditiorem uictoriam parit alteri litigantium parti, quam si aduersarij eius ipsi ultro se peccasse fateantur. Falsa nos primo aspectu lector putabit dicere, uerum ego mihi credi nolo, nisi liquido rem probauiero.

Fateri igitur dicimus papistas, non solum cum clare id ipsum dicunt, ut cū Moguntinus prior dixit, nihil esse opus disputatione, esse enim quosdam Lutheranoꝝ articulos ita manifeste ueros, ut nulla probatione egeant, ac pro exemplo p̄posuit articulum

articulū de coniugio sacerdotum, non posse tamen nobis concedi, nam si hic unus articulus concederetur, totus spiritualium ordo corrueret.

Item cum alius Episcopus Augustæ dixit, se bene posse ferre, ut ubiq; se haberet ita Ecclesia ut V Vittenbergæ, sed quòd debeant ex tam ignobili loco prodire, qui ipsos reforment, id nullo modo ferendum esse.

Item quòd papistici doctores coram suis principibus ibidem facti sunt non posse doctrinam nostram oppugnari ex sacris literis, sed ex patribus posse, quod dictum idem ualet, ac si dixissent, Lutheranorum doctrina consentit cum sacris literis.

Item cum Ratisbonæ aduersariorum doctores articulum de peccato originali et iustificatione concesserunt.

Sed magis fatentur suam doctrinam esse falsam, cum non audent nobis ullum liberum concilium dare, cum tamen toties id promiserint. Non audere autem eos liberum concilium dare, facile experientia iam annorum 30. unumquenq; sanæ mentis conuincit.

Omnia autem maxime se errasse confitentur in suis scriptis, cum longe aliter disserunt de sue doctrinæ articulis, quam olim docuerunt ac senserunt.

Olim docuerunt posse hominem suis naturalibus uiribus Deum diligere. In concilio Tridentino anathemate percusserunt eos, qui sentirent sine Spiritus Sancti auxilio hominem posse recte credere aut diligere.

Antea docuerunt post baptismum ferme nihil superesse originalis peccati, nisi tantum fomitem quendam, seu naturalem concupiscentiam. Iam fatentur etiam post baptismum esse magnam immundiciem in Sanctis.

Olim docuerunt hominem praesertim post baptismum ac post acceptam gratiam tantum ex proprijs operibus iustificari. Iam uero docent nos iustificari partim per Christum partim per nostra opera.

Olim de inuocatione Sanctorum docuerunt, celebrem illam & nusquam non decantatam similitudinem, quod, quemadmodum impudentia fuerit, rusticum in aula statim principem ipsum adire, sed oportere compellere prius aliquem aulicum, si uelit recte suum negocium peragere. Sic etiam sit impudentia & temeritas minime ferenda, si peccator statim accedat ipsum Christum, quare oportere prius aliquem sanctum exorare, ut ille pro te apud Christum intercedat. Atq; ita Christo mediatoris officium penitus abrogauerunt, ac

runt, ac sanctos in eius locum substituerunt, quibus & propria templa, cultus ac sacra instituerunt. Iam uero dicunt præcipue quidem Christum pro mediatore & aduocato habendum, licere tamen & sanctum aliquem compellare, ut pro nobis oret, ita, sicut hic petimus ab aliquo pio homine, ut pro nobis oret.

De missa olim docuerunt, quod sit sacrificium propiciatorium, quod ex opere operato impetret fauorem Dei uiuis, & mortuis & omnia alia bona illis, pro quibus fit. Iam docent missam esse sacrificium Eucharisticum, sicut & alia sanctorum opera.

Adorationis statuarum, reliquiarum, aque benedictæ, peregrinationum & indulgentiarum, in quibus olim tota ferme salus papistarum sita erat, iam propemodum penitus obliti sunt. Sic & aliorum omnium articulorum errores leniunt & fucant.

Ex his omnibus credo cuiq; perspicuum esse posse papistas ipsos animaduertere, ac fateri, esse infinitos errores & abominationes in ipsorum religione, quæ adcò sint propalam abominabiles, ut & ipsimet iam ab eis abhorreant.

NOTE ANTICHRISTI.



Actenus recensuimus quasdam notas ueræ ac falsæ religionis, satis conspicuas, ac propemodum palpabiles. Nunc addemus quædam de Antichristo, nam de eo non dubitatur, quin Antichristus sit futurus extreme impius, ac falsæ religionis in Ecclesia author. Ostendemus itaq; Deo iuuante, papam esse Antichristum, ut, cum hoc probauerimus, nemini dubium esse possit, quin papistica religio sit impiissima.

Antichristus ad uerbum significat aduersarium Christi, uel etiam eum qui se confert & ueluti æquat Christo. Fuerunt autem, ut Iohannes inquit cap. 2. primæ, etiam ipsius tempore multi Antichristi, id est, inimici Christi, & omnibus alijs temporibus. Unus tamen, qui postremis temporibus uenturus in sacris literis prædicitur proprie appellatur Antichristus. Siue id κατ' ἐξοχὴν fiat, quod nemo eo magis Christo sit aduersatus, siue etiam ex altera huius uocis significatione, quia iste solus se cum Christo ueluti compararit, eiq; se exæquauerit, aut etiam prætulerit. Ille idem etiam homo peccati dicitur, non solum quia ipse sit futurus summus peccator, sed etiam quia alijs sit causa peccandi futurus. Ac sane de hoc non dubitatur, quin iste ipse Antichristus,

christus, sit futurus summopere impius Blasphemus, ingentium impietatum author, magis namque sit Christianæ religioni ruinam daturus.

Verum quis nam iste sit, & uenerit ne iam, aut post uenturus sit, magna controuersia est.

Ioannes Hufs, Sauonarola, Lutherus piæ memoriæ, & alij quam plurimi uiri pietate ac eruditione præcellentes non dubitant, quin sit iste ipse homo peccati, & Antichristus, probantque id ualidissimis rationibus.

Quanquam uidi quasdam peruetustas cantilenas non minus quam ante annos 300. compositas, in quibus papa appellatur, Antichristus. Sic enim habent, in templum Salomonis uenit princeps Babylonis, Et excelsum sibi thronum posuit in medio. Rursum in alia cantilena dicit, hæredes Luciferi sunt prælati. Ex quo apparet fuisse iam olim multos pios, qui senserint papam esse Antichristum. Nos quoque non dubitamus, quin papa sit Antichristus, de quo scripturæ loquuntur, idque se ita habere aliquot argumentis probabimus.

1. Iohannes, 2. præter multos Antichristos unum eximium separatim ponit, ac definit eum, quod sit is, qui negat Ihesum esse Christum. Quam definitionem uolumus aliquantulum declarare, ut melius eius sensus percipi possit.

IHESVS fuit nomen proprium saluatoris nostri, filij Dei & Mariæ uirginis, impositum ei in circumcissione, sicut iam in baptismo Christianis nomina imponuntur, ut est Lucæ primo, & uocabis nomen eius Ihesum, Item, 2. & uocatum est nomen eius Ihesus.

CHRISTVS græce, & hebraice **Messias**, est nomen (ut uocant) appellatiuum significans unctum. Vngebantur autem apud hebræos sacerdotes & reges, cum eis iam regis uel sacerdotis functio demandabatur. Est igitur dictus **Ihesus**, **Messias** seu **Christus** ab eius officio, quia ipse est uerus **Sacerdos** & uerus **Rex** populi **Israelitici** seu **Ecclesiæ DEI**, ab alijs prioribus regibus & sacerdotibus præfiguratus.

SACERDOS est, primum quia nos docuit doctrinam de Deo per se & suos ministros. Deinde quia pro nobis sacrificauit semetipsum offerens, & inuenit redemptionem æternam. Postremo quia pro nobis intercedit, seu est mediator apud Deum. Nam hæc tria sunt ueri sacerdotis officia.

REX est, quia nos suo spiritu regit, protegit, defendit, nostrumque caput est, sicut passim in sacris literis uocatur. Vera autem hæc esse, nempe quod sit noster **Rex** & **Sacerdos**, cum aliunde tum ex psalmo, dixit Dominus, & **Epistola ad Hebræos** clare patet.

Negare igitur **Ihesum** esse **Christum**, non significat, non tribuere ei hoc nomen, sed significat rem ipsam hoc nomine comprehensam ei detrahere.

Detraxisse autem papam sua doctrina **Christo** regnum & sacerdotium, etsi satis a nostris præceptoribus hæctenus probatum est, tamen uolumus & nos breuiter quasdam rationes id clare euincentes adscribere. Primum igitur abrogauit papa **Christo** sacerdotis officium, quia instituit alios innumeros sacerdotes, qui suis sacrificijs nobis peccatorum ueniam, & Deum propicium efficerent.

Qui

Qui essent mediatores inter nos & Deum.
Quicq; nos non poenitentiam & remissionem
peccatorum in nomine Christi, sed in nomine
suorum sacrificiorum & meritorum doce-
rent.

Quod quanquam in eorum uerbis ac do-
ctrina nimis facile est animaduvertere, tamen
in morientibus maiori cum dolore pestilens
hæc doctrina cernitur, qui pleriq; in papatu
non fide in Christi mortem sperant & spera-
runt se remissionem peccatorum & æternam
salutem consecuturos esse, sed coemunt sibi
magnum numerum missarum, officiorum, pe-
regrinationum, Bullarum, item participatio-
nes omnium meritorum aliquorum ordinum.
Sicut D. Erasmus in suo Funere papistam mo-
rientem depingit.

Nec solum in terris, sed etiam in cælo, no-
bis alios infinitos mediatores papa cum suis
spiritualibus fabricarunt. Docuerunt nos de-
bere inuocare Franciscum uel Dominicum, ut
pro nobis uelit apud Deum esse mediator, ad-
uocat⁹ & propiciator, uel etiam alium quem-
cunq; sanctum aut sanctam, quid enim attinet
hæc numerare aut probare, cum sint cum in-
genti calamitate Ecclesiæ notissima. Ac ut
uno uerbo dicam falsissima fuit papistis hæc
sententia. Unus est mediator Dei & homi-
num Ihesus Christus, 1. Timoth. 2.

Deinde abrogauit papa Christo & reg-
num, nam hic in terris, ipse papa uoluit esse
caput, & summus gubernator Ecclesiæ. Ipse
remisit & retinuit peccata, cui uoluit, & quo-
modo uoluit, pro arbitrio, contra uerbū Dei.
In cælo uero alios protectores & rectores ui-
tæ nostræ esse docuit. Vnde factum est, ut ali-

us alium sanctum sibi non solum in mediato-
rem, sed etiam re uera in Deum eligeret. Sin-
gulæ ciuitates & oppida proprium quendam
defensorem & patronum in cælo habuerunt.
Distribuit etiam officia inter sanctos, ut alius
alia bona humano generi tribueret, quo non
unum tantum sanctum sed multos pro DEO
singuli homines colerent.

Hinc igitur manifeste animaduerti potest,
papam negasse Ihesum esse Christum, id est,
rem ipsam ei detraxit, etiamsi inanem nomi-
nis sonitum ei tribuerit. Sic etiam nouit Sathan
se in Angelum lucis transformare. Quare pro-
cul dubio papa est Antichristus secundum de-
finitionem Ioannis.

Obijciat aliquis atqui papa non negat
Deum patrem, quod ibidem Ioannes Anti-
christo tribuit. Respondeo hoc in altero con-
tinetur, nam qui negat filium, negat & pa-
trem, sicut ipse Ioannes ibidem argumen-
tatur.

II.

DAniel in descriptione Antichristi cap.
12. Antichristum depingit, ac pluribus
notis insignit. Primum inquit, Faciet
quicquid uolet. Fecit sane papa quicquid uo-
luit, non solum in politicis, ubi imperia pro li-
bitu ab alijs ad alios transtulit, ademit, dona-
uit, iuramento subditos soluit, quod passim
historiæ testantur. Sed etiam in religione ubi
plurima contra clarissimam scripturam con-
stituit, ut de altera parte cœnæ Domini, Con-
iugio sacerdotum, Libertate Christiana in re-
bus & διαφθορα, de sua Tyrannide ac impe-
rio, & infinitis alijs materijs. Quanquam hoc
uel

uel ipse papa de se fatetur, quia inquit distinctione 4^o. cap. Si papa. Quod etiamsi multa millia animarum secum ad inferos traheret, neminem debere sibi contradicere. Item in cap. Quanto de Translatione Episcopi Titulo 2. inquit Glossa. Quia in his, quæ uult, est ei pro ratione uoluntas, nec est, qui ei dicat, cur ita facis; uide locum.

Secundo dicit, quod se eleuabit contra Deum &c. Et contra Deum horribilia loquetur. Hoc plane fecit papa cum in alijs rebus, tum uero in hoc notissimo, quod & adhuc impudentissime eius adulescentes & adulescentis defendere non uerentur. Nempe papam esse supra uerbum Dei. Et papæ magis credendum esse quam uerbo Dei, quia uerbum Dei (ut ipsi blasphemant) est obscurum & ambiguum, papa autem errare non possit. Item quia Ecclesia errare non potest, papa autem cum suis fratribus cardinalibus sit Ecclesia.

Sed hoc non est tam obscurum aut ignotum, ut probandum sit, papam & eius adulescentes docere, magis credendum esse ipsi dogmatibus quam uerbo Dei. Verum illud uidetur multis, hinc non sequi, ut propterea papa se exaltet supra Christum, cum non appellet se Deum, sed præ nimia humilitate seruum seruatorum. Atqui re uera sequitur hinc, quod papa se exaltet supra Christum, quandoquidem uult sua mandata magis audiri quam Christi, si modo quis magis rem ipsam perpendat, quam inanem uerborum tinnitum. Res hæc in alio exemplo facilius dijudicari poterit. Ut si ego uel quispiam alius uilis homuncio contenderem mihi potiùs aliquid præcipienti obediendum quam regi, aut regis mandatis, nonne

nonne me præferrem regi? Ita cæte opinor,
omnes clamarent. Sic igitur & de papa iudi-
candum est. Huc quoq; facit quod se uocat
sanctissimum & Dominum Ecclesiæ. Cum
CHRISTVS ipse uenerit, non ut ministretur
ei, sed ut ipse ministret, et tantum sanctus Do-
mini uocetur.

Tertio dicit quod ei omnia prospere suc-
cedent, quousq; ira Dei desierit, certum est
papæ in plurimis tam spiritalibus quam po-
liticis negocijs, eisq; iniustissimis, foelicissime
successisse, quod est & notius, quam ut neces-
se sit probari, & tristius, quam ut sine luctu
possit commemorari.

Quarto inquit, Deum suorum patrum
non curabit. Hoc papam facere & fecisse su-
perius in definitione Antichristi abunde pro-
bauimus, modo realis iniuria contra Chri-
stum, & non uerbalis honor, quo eum in speci-
em honorat, perpendatur.

Quinto affirmat, quod amorem mulie-
rum non curabit. Loquitur proculdubio pro-
pheta de honesto amore, id est, coniugali. De
quo præcipit Paulus, Vir amet uxorem suam,
sicut Christus dilexit Ecclesiam suam, & non
de turpi amore. Nam hoc crimini datur Anti-
christo. Competere autem hoc dictum in pa-
pam uel in primis, multis rationibus demon-
strari potest.

Primum quia, cum Deus dicat, non est
bonum hominem esse solum, papa contra cla-
mat imo est optimum, & ab omnibus suis spi-
ritualibus coniugium tanquam rem impuris-
simam ferro & igni repellit.

Deinde quia re uera papa cum suis spiri-
tualibus non amat sexum muliebrem, sed
tantum

tantum abutuntur eis non aliter quam matu-
lis, per aliquot dies aut menses una abutuntur;
Deinde, ubi ea illis sordet, abijciunt eam &
quærunt aliam.

Ac est profecto operæ precium etiam in
hac re considerare in eis spiritum Sathanæ, qui
eos ad abusum creaturæ Dei, ad imaginem ip-
sius conditæ tam furenter impellit. Quod uel
inde animaduerti potest, quod maxime dele-
ctantur illas contaminare, quæ sunt honestis-
simæ, idque quam plurimas, & postea eas infamare.
Quod non faciunt ob aliquam natura-
lem uoluptatem, (Nam naturalis uoluptas est,
aliquam diligere, ut cum ea uitam agere, & ex
ea sobolem procreare possis) sed quia Diabo-
li spiritu ducuntur, ideo modis omnibus co-
nantur omnia opera Dei, præsertim autem
præcipua, fædissime conspurcare.

Postremo, quia cum sint traditi in repro-
bum sensum, conuerterunt usum &c. uide lo-
cum Pauli. Rom. 1.

Sexto inquit Daniel, quod colet Deum
Mahozim. De Mahozim uide interpretati-
onem Lutheri, quæ mihi probatur, inuenies
aptissime hoc dictum ad religionem papæ
quadrare.

Septimo dicit, quod colet suum Deum ar-
gento, auro, & preciosis lapidibus, & omni-
genis rebus preciosissimis. Hoc sane dictum
in papam aptissime competit, in cuius tem-
plis ubique resplendet, aurum, argentum, Gem-
mæ & præciosæ uestes. Nec ullum maius opus
deoque gratius fieri potest secundum papæ ac
eius spiritualium sententiam, quam si quis max-
imas opes templis ac monasterijs donet. De
illo præcipuo Dei cultu, de quo agitur Psal-
mo. 50.

mo, 50. Nempe inuoca me in die tribulationis.
Item, papa plane nihil docuit. Id est, de uera
imploratione auxilij diuini.

Octauo affirmat, quod amplissimis ho-
noribus & opibus ditabit suos complices.
Quod uerissimum est de sanctissimo, ipse dis-
tribuit Cardinalatus, Episcopatus, Abbatias,
Canonicatus, præbendas, beneficia, & simi-
lia, quæ iam longo tempore nihil aliud fue-
runt, quam opes ac reditus. Sicut Erasmus in
Echo docet quod sacerdotium habeat opes &
oculum.

III.

Paulus 2. Tessalo. 2. copiose Antichri-
stum depingit. Verum ea pictura mag-
na ex parte cum Danielis descriptione
conuenit. Quatuor tamen sunt præcipua ibi,
præter ea, quæ clare Daniel ponit.

Primum quod in templo Dei Antichri-
stus sedebit, id est, in Ecclesia, & Christiano-
rum conscientijs. Hoc autem est illud quod
papa dicit se esse uicarium Christi, & simulat
se negotium Christi agere. Si propalam se fa-
teretur hostem Christi, ut Turca facit, non es-
set in Templo Dei.

Secundum est quod Paulus dicit iam mi-
nisterium iniquitatis parari. Id eo pertine-
re arbitror, quod paulo post, Episcopatus
Romanus cœpit paulatim efferri, ac quan-
quam aliquamdiu pñ Episcopi præfuerunt,
tamen iam tum inchoabatur illa pestilens se-
des Antichristi. Obseruandum igitur est, quod
si iam tum aliquo modo hoc malum inchoa-
batur, non sit quod expectemus aliquem An-
tichristum, qui adhuc uenturus sit Babylone,
sicut eum pingunt papistæ.

Tertium

Tertium est, quod dicit uenturum Antichristum cum prodigijs ac signis mendacibus Sathanæ. Hoc aptissime quadrat in papam. Nam tota eius religio, omnia templa, & singuli templorum anguli pleni sunt miraculis infinitis, quæ partim commentitia sunt, sicut Erasmus in spectro disputat, partim Diabolicis præstigijs effecta.

Quartum est, quod inquit propterea immittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, id quoque aptissime papistis conuenit. Nam adeo firmiter omnes uanissimis illis nugis credidimus, ut iam nequaquam tam uehementer in ipsum uerbum Dei credere queamus.

IIII.

PAulus I. Timot. 4. quasdam proprietates Antichristi, & eius dilectorum filiorum enumerat, quæ si diligenter obseruentur, non parum facient ad cognitionem Antichristi.

Primum dicit, quod in postremis temporibus quidam discedent a fide. Vbi est obseruandum quod dicit de postremis temporibus, ut non possint hæc intelligi de eis hæreticis, qui statim post Apostolorum tempora fuerunt. Dicit igitur discessuros a fide quosdam, quod de papistis est uerissimum, nam illi negant se scire quicquam de alia fide quam noticiæ, quam etiam Diaboli habent. Igitur discesserunt ab ea fide, per quam scriptura testatur nos fieri filios DEI, ac remissionem peccatorum accipere, & per quam, nos omnia posse impetrare a Deo, CHRISTVS affirmat.

Secundum,

Secundo dicit, quod attendent spiritibus impostoribus, & doctrinis dæmoniorū, quod de papisticis spiritualibus uerissime dici potest, nam purgatorium, Missarum nundinatio, indulgentiæ, cultus sanctorum, statuarum, cadauerum, & reliquiarum (ut illi uocant) peregrinationes, consecrata aqua, cæra, herbæ, aliæq; infinitæ superstitiones omnes, sunt doctrinæ dæmoniorum, quod uel ipsorum testimonio probari potest, nam ipsi passim pro confirmatione istorum cultuū citant spectrorum responsa, apparitiones & alias eiusmodi præstigias.

Huc pertinet, quod dicit, id facturos istos impios per hypocrisin falsiloquorum, habentium conscientiam cauteriatam, nam tota papistica abominatio fabricata est per nebulones hypocritas, mendaces, simulatores pietatis eximie, qui in rebus minimis habent ualde scrupolosam conscientiam, ut in comedere carnes die ueneris, aut quippiam simile. Sed eosdem nulla incesit religio, nec reprehendit conscientia, quod propter suum lucrum hortantur morientem, ut spem suam collocet in S. Franciscum, aut quippiam simile. Sed hanc cauteriatam conscientiam, id est, non sanam, sed insyncerum de uera pietate iudiciū, Erasmus copiose exagitat in Ichtiophagia.

Tercio dicit, quod prohibebunt coniugium, & liberum usum ciborum. Quorum utrumq; facit papa, nam a coniugio omnino uult abstinere spirituales, alios autem Christianos docet cælibatum esse rem Deo longe gratissimam. Atq; adeo cælibatum coniugio prætulit, ut nō satis bona conscientia homines in coniugio uixerint, cogitarintq; se in quodam imperfectionis statu uiuere, Quod

Quod etiam Hberum usum ciborum ab-
stulerit, id est notissimum, nam longe ma-
ius peccatum fuit in papatu comedere carnes
die ueneris, aut in quadragesima, quam scor-
tari,

V.

PAulus 2. Timoth. 4. cap. dicit futurum
esse tempus, cum homines sanam doctri-
nam non audient, & quod a ueritate se-
uertent, ad fabulas uero conuertentur, &
quod coaceruabunt sibi Doctores. Hæc sunt
plane papatus tempora, atq; adeo præsentia,
quibus nihil tam sincere dici, nihil adeo ex
scripturis confirmari potest, quin illud proti-
nus hæreticum & Lutheranum proclametur.

Econtra nulla est fabula tam frigida, aut
etiam impia, quin si a Monacho pronunciata
sit, aut ab alio aliquo sanctissimo spirituali,
protinus pro Spiritus Sancti oraculo habea-
tur.

His Antichristi notis ex sacris literis de-
sumptis addamus quasdam ex S. Gregorio
papa, quoniam is autor a papistis magnifit,
nec a nostris contemnitur.

Tempore huius papæ, qui floruit prope-
modum ante annos 1000. Ioannes Episcopus
Constantinopolitanus uolebat appellari, &
esse uniuersalis, & oecumenicus Episcopus,
id est, Episcopus, qui haberet ius supra om-
nes Episcopos per orbem terrarum. In ea re
adiuuabatur fauore imperatoris. Restitit ei
H pelagi

pelagius præcessor Gregorij, restitit & ipse Gregorius.

Extant aliquot Epistolæ Gregorij de eo negotio, duæ ad Mauricium, una ad Constantiam imperatricem, una ad ipsum Ioannem, una ad Episcopos Alexandrinum & Antiochenum. Item ad alios quosdam. In quibus uehementer repræhendit factum Ioannis. Negat quenquam debere esse uniuersalem Episcopum præter Christum, nec suos præcessores, neque alium ullum Episcopum id nomen unquam usurpasse.

Dicit cum titulum esse nouum, stultum, superbum, peruersum, scelestum & prophænum, in quod consentire idem ait esse quod fidem abnegare. Dicit, hoc factum, si quis se supra cæteros Episcopos efferre uelit, consimilimum esse facto Diaboli, qui non fuerit contentus se cæteris Angelis æqualem esse, eamque collationem prolixè in pluribus Epistolis tractat. Sæpius repetit id pugnare cum Euangelio & omnibus canonibus.

Quin etiam hæc dicta in illis Epistolis ponit, in Epistola ad Constantiam imperatricem lib. 4. Epist. 31. inquit. Sed in hac eius superbia quid aliud nisi propinqua iam esse Antichristi tempora designantur? Quia illum uidelicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus ad culmen conatus est singularitatis erumpere dicens, supra astra coeli exaltabo solium meum & ero similis altissimo. Eodem libro Epist. 35. ad ipsum Ioannem Episcopum inquit, Omnia, quæ

quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbix prope est, & (quod dici nephas est) sacerdotum ei præparatur exercitus, quia ceruici militant elationis, qui positi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis. Item lib. 6. Epist. 30. ad Mauritium Augustum sic scribit. Ego autem fidenter dico, quod quisq; se uniuersalem sacerdotem (idem ei est quod Episcopum) uocat uel uocari desyderat in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.

Quibus dictis beatissimus pater tantum non digito monstrat papam Romanum esse Antichristum, & spirituales esse eius exercitum, nam statim post eius mortem Episcopi Rom. hoc sibi nomen concedente impio Tyranno Foca arripuerunt, ut scilicet illi primi quidem papæ post Gregorium fuerint Antichristi præcursores, reliqui uero, qui impietates & Tyrannidem supra Ecclesiam auxerunt, ipsum Antichristum expresserint.

Hactenus *την μίξιαν* quædam admodum conspicua ueræ & falsæ doctrinæ ac ipsius Antichristi recitauimus. Ex quibus quisuis ueritatis cupidus facile statuere potest nostram doctrinam esse ueram, ac ipsius Christi, papisticam uero falsam & ipsius Antichristi. Quanquam & alioqui multorum piorum scriptis ita claræ nostræ doctrinæ ueritas, papisticæ uero falsitas commonstrata est, ut omnes, qui non ultro ad meridianam Christi lucem cœcutire & petulanter a uia salutis aberrare uolent, n̄ facile controuersias præsentis

discudicare & coelestem ueritatem agnoscere
queant.

Profecto est iam hora diei undecima, qua
pater familias extrema uice, per suum Elsam
& Euangelij renouationem in forum progres-
sus est, ut ociosos ibi stantes in suam uineam
uocet, breui proculdubio ueniet cuius suam
mercedem redditurus. Quare qui istius pa-
trisfamilias iustam iram effugere, & miseri-
cordiam consequi cupit, is serio uigilet eumque
expectet credendo Dominum Iesum passum
esse & resurrexisse, nec esse aliud nomen sub
caelo, per quod saluari queat, quam istum uni-
cum agnum, peccata mundi tollentem, atque
hanc fidem constanti confessione profitendo.
Nec se ullis quantumuis magnis scandalis ab
hac fide abduci consopiriue patiatur. O be-
atum illum seruum, quem cum Dominus ue-
nerit, sic inueniet uigilantem.

Fuerunt sane semper magna scandala,
nam Christus est petra scandali, iam tamen
sunt & deinceps sub finem mundi maiora
erunt, quam unquam alias fuerunt. Verum
unusquisque Christianus, qui saluus fieri uolet,
auertat oculos suos a scandalis, solum Chri-
stum respiciat, cum sequatur, sibi que id dici pu-
ter quod Christus ad Petrum inquit, si eum sic
uolo manere quid ad te & tu me sequere.

Etiamsi uiderimus omnes discedere a
Christo, nos tamen cum pusillo Apostolorum
grege respondeamus. Domine uerba uitae
habet, quo discederemus a te. Vere enim bea-
tus erit.

tus erit ille, teste Christo, qui non fuerit in ipso scandalizatus.

Qui autem claram hanc ueritatis lucem contempserit, quæ iam Dei beneficio ita solide, perspicue et crasse omnium oculis proposita est, ut propemodum manibus contrectari possit, is sane sciens & uolens in suammet perniciem & æternum exitium ruit, ubi erit perpetuus horror, stridor dentium & sempiterna confusio.

A quo malo Dominus Iesus, qui ideo passus est, ne nos pateremur, nos & omnes suos, secundum suas promissiones liberet, AMEN.

SCHOLIION IN DIC- tum Ioan. 10. Omnes qui ante me uenerunt:

Ioan. 10. Omnes, qui ante me uenerunt, fures sunt & latrones, id est, quicumque uenerunt sine me, neglecto & despecto me.

Ante, Coram & similes prepositiones, sepe neque tempus neque locum significant, sed tantum hostile quiddam contumax aut aduersarium indicant, ut Psal. 51. & peccatum meum negedi, coram me semper, id est, tanquam aduersarius pugnat mecum & torquet meam conscientiam. Sic
Prouer.

Prouer, 21. Non est sapientia, non est intelligentia, non est consilium, neged iehoua coram Domino, id est, contra Dominum. Talis est penitus & illa contrario sensu accepta locutio Matth. 16. Ὑπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ abi retro me Satana. Simili penè Phrasi Aeschines contra Ctesiphontem inquit: μηδ' ἐμπροσθεν τῶν νόμων ἀλλ' ὕψερως πολετεύς.

Aliud.

Ioan. 13. ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν, Mandatum nouum, id est, aliud do nobis. Prius enim in hoc eodem capite & concione aliud mandatum dederat de fugienda ambitione, sectanda humilitate & mutua concordia. Significare autem sepè nouum Hebraeis idem quod aliud, potest exemplis firmiter probari, ut Exod. 1. surrexit Rex nouus super Aegyptios, qui non nouerat Ioseph, Septuaginta uerterunt ἕτερος. Item Esai. 62. Appellaberis nomine nouo, quod os Domini nominabit, pro qua locutione Cap. 65. in simili materia dicit, & seruos suos uocabit nomine alio. Sic etiam Marci ultimo legitur: Linguis loquentur nouis, non certè penitus nouis, Neq; enim Apostoli & alij pij nouas linguas excogitauerunt, sed alijs linguis, præter eas, quas antea norant, locuti sunt.

MAGDE=

BVRGI EXCVDE,

BAT MICHAEL

Lotther.

nä
0=
tus
6o
4o
n/
x

in/
in
um
n/
em
ex
ex
h,
2o
0=
4/
10.
n=
in
ce



MA GLEBE
D. V. G. I. B. K. C. H. D. S.
H. A. T. M. I. C. H. E. L.
L. e. h. r. e. r.

J
S
A
a
c
n

d

f
a
b
p
l

a
c



esse
atum
er
loi
ut
nen

au
r a
n
re

ate
ier
nel
im
pro

on
pi




Handwritten signature or name, possibly 'Humbert'.



78 3588

ULB Halle 3
002 400 227





B.I.G.

Farbkarte #13

ARISSI=

V AEDAM NO

se religionis atq; adeo christi, ex quibus eti

s, modo ueritatis stu ullo negotio certo sta

t nostram doctrinam ac ipsius Christi,

rum uero falsam ne ipsius Anti christi.

seæ. XIIII.

unt planæ & iusti ambu as, preuaricatores au corruunt in eis.

Luc. IX.

rit homini si uniuersum lucratus fuerit, se au ipsum perdat.

Anno 1549.

Frederici B

B

12